14/
CASS

RICHARD C. KESSLER
REFORMATION
COLLECTION

PITTS THEOLOGY LIBRARY
EMORY UNIVERSITY
MCMLXXXVII

H

Psalmes mis nom

DEMONSTRATIONES EVIDENTISSIMAE XXX. PRAESENtiæ, distributionisq; corporis ac sanguinis Christi in sacra Cœna, hactenus multis minus cognitæ.

AVTHORE
Mathia Flacio Illyrico.

His præmissæ sunt breues summæ demonstrationum, in gratiam pij Lectoris.

VRSELLIS,
EX OFFICINA TYPOGRAPHIca Nicolai Henrici.
Anno M. D. LXV.

NOBILI GENERE, AC VIRTUTE PRVDENTIAQVE VIRO, Domino Vito Vlrico à Schamburg, suo Domino & Patrono Mathias Flacius Illyricus optat constantiam Zelumq; in agnita puritate Euangelij Iesu Christi.

BONA conscientia fideq; affirmare possum me, quæ hactenus uel contra pontificios, ac eorum collusores Adiaphoristas, Synergistas, & Operarios (qui contendunt bona opera esse adeo necessaria ad salutẽ, ut planè impossibile sit quemquam eis carentem seruari) uel contra alias sectas, corruptelas, aut errores scripsi, tantum studio ueritatis,

tis, non autem uel opum, uel glori
scripsisse: quod etiã tacente me tu
periculosissima tempora, despera
tissimaq; negotia, quæ anno 154
1549. & aliquibus sequentibus fu
re, cũ ego, subterfugientibus ann
signanis pericula, in hæc difficilim
certamina incidi, testari possunt,
etiam uaria mea exilia, cruces, inf
miæ, ac maledicta, mendaciaq;, qu
sine modo ac fine in me congeru
tur, & deniq; pericula, quæ mihi
mnibus horis & locis immi nent.

Quòd si meis uoluptatibus ac co
modis, affectibusue indulgere u
luissem, dudum profectò mutata
lificatione, ad tempora homine
me attemperassem, ut multi alij, c
bresq; uiri maturè fecerunt. Qua
ipsimet aduersarij publicis scrip
mihi nunc insultant, dictitantes,
non tantum lapidem ab ædifica

tibus reprobatum esse, sed amplius habere locum, ubi caput tutò reclinare queam: cum antea contra calumniati sint, me regnum hisce certaminibus affectare.

Neq; uerò solũ bono studio scripsi, quæ contra uarias corruptelas euulgaui, sed etiam semper me iudicio ac Synodo fratrũ, secundum uerbum Dei iudicanti, subieci. Supplicaui etiã sæpissimè cum alijs quibusdã ueritatis contra errores confessoribus, publicis & priuatis scriptis, tum potentibus, tum & sapientibus ac doctis, ut legitimam Synodum, conuentumq; Ecclesiæ fieri curarent, ubi adhibita ex sacris literis disputatione, de omnibus controuersijs cognosceretur ac definiretur.

Quid uerò profecerim petendo Christianã controuersiarum diudicationem, testantur tot, famosi li-

bella, chartæ ac picturæ passim uolitantes, ubi neglectis controuersijs, ac uerbi Dei testimonijs, tãtum scurrilibus conuicijs & mendacijs obruor. Testatur & meus aduersarius, pro Papistica Synergia, aut libero arbitrio contra me pugnans, qui sicut ante quadriennium Vuinariæ uerbo Dei uictus ac cõfusus, tandem cœpit testari & protestari, se malle potius quiduis perpeti, qui amplius mecum, aut cum ijs, qui mecum sentiebant, de propositis controuersijs disputare: Ita nunc contra in suo theatro, ubi nemo est, cui liceat illi contradicere, ueluti deserta causam (iuxta prouerbium) obtenturus, fanda atq; nefanda, atq; adeo etiam impudentissima mendacia, plus quàm Stentorea uoce blaterat, furioseq; in me perpetuo absque fine modoq; debacchatur,

An id pium ac salutare sit religioni, ac iuuentuti, conscientijsq; : an etiam Ecclesiam Dei, piasq; Scholas deceat : an quoq; conueniat ijs, qui nutricij ueritatis perhiberi uolunt: an denicq; ista disceptandi ratio in religionis cõtrouersijs à spiritu sancto proficiscatur, omnibus præsentibus & posteris quoq; iudicandum relinquo. Ego uerò ut antea semper iudicium piæ Synodi petij : ita iam quoq; cum alios omnes corruptelarum patronos, tum et obesum istum transfugam apostatamq; ad liberã legitimamq; disceptationem ex uerbo Dei institutam prouoco, meq; ad eam, Deo mihi assistente, offero. Interim legat Christianus cupidusq; ueritatis Lector Vuinarienſem disputationem.

Damnauit antea Adiaphorismũ, & alias corruptelas, in iudicio de

Lipſico Interim cum Menio, ann
1549. Vuinariæ conſcripto, & po
ſtea 1558. Vuitebergæ à Menio e
uulgato, Damnauit in Synodo cu
D. Amsdorffio, Schnepfio ac Stol
zio conſcripta anno 1553. Damna
uit in cõfeſsione Thuringica ann
1550. cum Menio conſcripta & edi
ta, de magno Interim. Damnaui
in Synodo, ubi contra Menium d
ſputauit. Damnauit in ſolenni pro
teſtatione Colloquij Vuormatien
ſis. Damnauit item in confeſsion
Ienenſi, anno 1558. Denicp damna
uit etiã in tranſactione facta in Th
ringia anno 1563. Taceo plurima
eius lectiones, & ſcripta ipſi à Stol
ſelio in ſua Apologia obiecta.

Hiſce tot ſuis propriis ſcriptis, co
feſsionibus, & actionibus toties or
et calamo repetitis, & ſanctè confir
matis antea, nunc tandem neglecti

ad illas ipsas corruptelas, earumq; patronos defecit, transfugit, et apostatauit, cum quidem nullas firmas rationes proponere possit, cur sit factus apostata. Nec tamen hac meta sui sceleris contentus, pergit declamitare ac blasphemare contra uera dogmata, euidentissimè ex ipsis cœlestibus oraculis desumpta. Exagitat audacissimè seruum arbitrium Lutheri, piæ memoriæ, cum tamen in eo unam paginã, cum omnibus suis (ut ita dicam) compelagianis refutare nequeat. Quid de tã nefario transfuga ac apostata sentiendum sit, iudicent omnes pij ac sani Doctores & auditores.

Tibi porrò uir eximie, hunc nostrum libellũ contra Sacramentarium errorem, unà cum priore parte, titulo Fidelis admonitionis edita, dedico, cum quia te pura doctrina

Iesu Christi mirificè delectari audio, tum ut & alij tuo exemplo inuitati eos tanto studiosius lectitent: tum denicq; ut habeas occasionem, etiam publicam disputationẽ & cognitionem præsentium controuersiarum, ubi per occasionem poteris promouendi. Dominus Iesus te ad gloriam nominis sui, & Ecclesiæ utilitatem diutissimè regat, & incolumem conseruet, Amen. Ratisbonæ, Anno Domini 1565. in die Mathiæ, qui in locum proditoris Iudę ad Apostolatum diuinitus electus est.

SVM.

SVMMAE BREVES DEMONSTRATIONVM SEQVENTIVM.

PRIMA *demonstratio præsentiæ corporis & sanguinis Christi sumpta est ex definitione textus, continentis duo diuersa membra seu partes, & res à seinuicem diuersas proponentis, essentiam nimirum & finem seu usum Sacramenti.* Folio 1.

Secunda demonstratio ostendit Metonymiam Sacramentariorum non habere locum in uerbis Christi: Hoc est corpus &c. eamq; tollere & corporalem et spiritualem præsentiam corporis & sanguinis Christi. Fol. 2.

Tertia probat uerba illa: Accipite, comedite, bibite, de externa acceptione, esu, ac potatione dati aut porrecti intelligenda esse. Fol. 3.

Quarta, Verba Institutiõis cœnæ Dominicæ perspicua ac in suo natiuo sensu, ut sonant, retinenda esse demonstrat ex ratione subiecti & prædicati, & ex explicatione prædicato addita. Fol. 5.

Quinta ex ordine rerum & actionũ contendit, uerbum & Sacramenta non esse propriè, si essentiam eorum consideres, ipsa spiritualia bona, aut meritũ Christi, sed excitare fidem in nobis &c. Fol. 7.

Sexta

Sexta docet (ex uoce Memoriæ seu Recordationis, ubi Christus iubet nos edere suum corpus, & bibere suũ sanguinem ad sui recordationem) spiritualem manducationem aut fruitionem corporis Christi non ante, sed post memoriam, tanquàm ultimum effectum Sacramenti, esse collocandam. Fol. 8.

Septima idem colligit ex uocula IN uel AD. Fol. 9.

Octaua ex ratione instrumentorum aut mediorũ ad suũ finem seu usum argumentatur, quod in uerbis, Accipite, Comedite, bibite, non præcipiatur aut detur spiritualis seu uiuifica corporis Christi manducatio. Fol. 9.

Nona ex methodo docendi, qua per notiora ac crassiora ad ignotiora & obscuriora à Spiritu sancto deducimur, concludit in illis uerbis, Edite, bibite, Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, proponi externam quandam ac crassiorem manducationem, & hauſtionem corporis ac sanguinis Domini. Fol. 10.

Decima ex collatione finis ad suum medium probat spiritualem manducationem corporis Christi nõ debere collocari in essentia Sacramenti, sed in effectu. Fol. 11.

Vndecima idem ex ordine rerum non peruertendo colligit. Fol. 12.

Duodecima ostendit locutionem aduersariorum, Fide spiri-

spiritualiter comedere corpus Christi &c. esse crassam & ineptam tautologiam & battologiam. Fol. 12.

Decima tertia docet actionem illam, quæ fit ad memoriam, & memoriam antecedit, pijs & hypocritis communem esse. Fol. 14.

Decima quarta ostendit Zuingliani erroris instauratorem, quem Caluinũ esse constat, duos diuersos & contrarios sensus uerbis Christi affingere, eumq; nõ solũ cum textu ac eius autore, sed & secum pugnare. Fol. 14.

Decima quinta docet, cum non sint idem, signum & signatum, ac Sacramenta sint σφραγίδες promissæ iustificationis, spiritualem manducationem non posse habere locum in uerbis, Accipite, comedite, bibite, Hoc est corpus meum &c. quæ uerba descriptio sunt essentiæ Sacramenti aut signi. Docet item Sacramentalem seu externam manducationem panis et uini corporisq; ac sanguinis Domini esse & signum et medium, aut instrumentum, seu memoriale spiritualis manducationis, quæ sola fide peragitur. Fol. 18.

Decima sexta ratiocinatur ex necessario coniunctis Passioni Christi. Cum Christus illa omnia per se, in se, & per suum proprium uerumq; corpus peregerit, eundem quoq; uerum natiuumq; sanguinem ac corpus suum nobis in sacra sua Cœna impendere. Fol. 20.

De-

Decima septima ex collatione sanctionis & confirmationis utriusq; testamenti colligit uerum non typicum sanguinem in cœna Domini distribui. Fol. 20.

Decima octaua idem colligit ex collatione agni Paschalis ueteris & noui. Fol. 21.

Decima nona idem probat ex more ac iure perpetuo fœderum. Fol. 21.

Vigesima etiam ex duorum fœderum collatione in sacra Cœna communicationem corporis Christi exhiberi demonstrat. Fol. 22.

Vigesima prima probat multis rationibus Corinthios olim habuisse somnium quoddam de nuditate panis & uini, deq; absentia Christi à sacra sua cœna in cœlo, & ostendit uerè in cœna sumi uerum corpus & sanguinem Christi. Fol. 24.

Vigesima secunda recitat Osiandri opinionẽ de iustificatione, & ostendit Caluinum cũ Osiandro consentire de modo ac medio apprehẽdendæ iustificationis. Fol. 29.

Vigesima tertia refutat Osiandricam iustificationis rationem. Fol. 36. & ostendit incorporationem aut manducationem mysticam effectum esse iustificationis, non medium apprehendendi eam. Fo' 37.

Vige

Vigesima quarta ostendit manducationem etiam habitionis aut incorporationis, ut medium & aditum ad perceptionem beneficiorum Christi, ex uerbis cœnæ, Accipite, edite, bibite, Hoc est corpus meum &c. explodendam, & Sacramentalem aut corporalem, utpote à Christo institutam retinendam esse. Fol. 40.

Vigesima quinta repetit distinctionem in prima demonstratione traditam, & Caluinum secum et pugnare ex ipsius Caluini uerbis conuincit. Fol. 41.

Vigesima sexta Sacramentariorum præcipuum argumentum ex capite sexto Iohannis, contra externam aut corporalem manducationem corporis Christi extructum refutatur diligenti totius illius concionis aut disputationis Christi Iohan. 6. consideratione seu potius explanatione. Fol. 43.

Vigesima septima uerum corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna esse intelligendum ex natura & ui articuli τὸ & ex communi Grammaticorum & græcam linguam callentium sententia eruditè probat ac statuit Fol. 55. & triplicem significationē corporis Christi scripturam usurpare docet. Fol. 59.

Vigesima octaua ex proprietate Græci idiomatis, ubi uidelicet arctissima est connexio prædicati & subiecti per articulum qui prædicato additus est, & prædicatum

quasi

quasi in subiectum retrahit, uerum corpus & sanguinem Christi cum pane & uino in cibum ac potum dari demonstrat. Fol. 61.

Vigesima nona idē ex Hebreæ linguæ ratione astruit, ita ut pronomen demonstratiuum Hoc uel Hic naturam aduerbij demonstratiui repræsentet. Fol 63.

Trigesima ex scopo, intentione, aut proposito Christi dicentis, & testamentum suum nouum inter Deum & homines sancientis euincit, Christum his uerbis, Hoc est corpus meum, sanguis meus, asserere ueram præsentiam ac distributionem corporis ac sanguinis sui in sua Cœna sacra.

DEMON

STRATIO PRIMA.

MANIFESTVM est ac negari nõ potest, quòd uerba sacro sancti testamenti Christi duas inter se diuersissimas partes habeant, duasq; multum à se inuicem diuersas res proponant & tractent. Primum etenim ipsam essentiam corpusúe Sacramenti describũt. Postea eius usum, finem ac effectum. Essentia Sacramenti describitur usq; ad uerba, Pro uobis traditur, &: Hoc facite. In altera uerò posterioreq; parte indicatur, in quẽ finem, usum aut utilitatem sit hoc Sacramentũ institutum. Res est manifesta diligenter ac intimore Dei studioq; ueritatis, non cauillandi, textum expendenti.

Comprobat etiam hãc textus distinctionem ipsemet Caluinus 1. Cor. 11. hisce uerbis: Quod pro uobis datur, Cæterum (inquit) hoc est secundum membrum promissionis, quod leuiter prætereundum non est. Neq; enim simpliciter & sine adiectione Christus corpus suum nobis offert, sed quatenus pro nobis immolatum est.

Prius ergo membrũ significat nobis corpus exhiberi. Hoc secundum exprimit, quis inde fructus ad nos perueniat. Hactenus ille.

Fœda ergo peruersio est, quòd ab aduersariis, effectus aut fructus Sacramenti huius, nempe spiritualis fruitio Christi, in ipsam essentiam Sacramenti, nempe in uerba, Hoc est corpus meum, uiolenter corruptis uerbis intruditur, atq; ita reuera ipsa essentia Sacramenti corrumpatur, quin & in uniuersum tollatur. Quare seperentur sensus aut sententiæ rerum ipsæ, & unumquodq; suo loco & in suis uerbis, ubi illud ipsemet Dominus, author huius sacrosancti Testamenti, collocauit, quæratur actractetur, non in loco essentiæ effectus uel fructus, aut contra: ut si equi post currum iuxta prouerbium alligẽtur. De qua distinctione textus Testamenti Christi in mea fideli admonitione plenius actum est.

II.

Si Metonymia aduersariorum ualeret, ut scilicet uerba, Hoc est corpus meum, idem polerent, quod, hoc est signum corporis mei, nec tra profectò manducatio corporis Christi nec corporalis nec spiritualis ibi institueretur aut præciperetur. Nam ipsa uerba Testamenti Domini reuera tantũ de signo corporis eiusq; manducatione

ducatione loquerentur, non autem de aliquo qualicunq; demũ uero Christi corpore, aut aliqua qualicũq; demũ uera ipsius mãducatione.

Quare uicissim, conuersaq; ratiocinatione, utracunque demum manducatio uera est & in uerbis cœnæ instituitur, sequetur ineuitabiliter Metonymiam falsificare uerba sacrosancti Testamenti filij Dei, dum pro reali corporis manducatione signi tantum manducationem substituit.

Sed dicunt aduersarij: Nos non dicimus signa esse nuda aut uacua. Respon. Quæ uos effigia & quas clusiones ueritatis quæratis, non ualde magni momenti est pernoscere. Nos solũ in uerba ipsa Christi respicimus. Illa autem (si uestræ metonymiæ credendum est) non corpus, sed signum tantum corporis pollicentur. Illis uerò solis credere ac insistere cogimur, & à Deo seueriter iubemur, non ijs, quæ uos extra uerbum illud additis & comminiscimini.

Præterea non erunt nuda signa, siquidem sua significata per fructus aut effectus, nempe spiritualem fruitionem Christi, de qua in posteriore parte Testamenti agitur, credentibus afferent.

III.

Nõ potest negari, uerba, ACCEPIT, FRE-

GIT, ac dedit dicens &c. intelligi de externa actione, fractione &c. Necessariò igitur etiam mox sequentia ac inde dependentia uerba, Accipite, comedite, bibite, de externa acceptiõe, esu ac potatione dati aut porrecti intelligenda sunt. Sicut enim externè Dominus accepit, dedit, ita etiam externè accipi, edi ac bibi uoluit ac præcepit, Sunt enim ista correlatiua aut sibi inuicem correspondentia, ut quale sit dare aut porrectio, tale sit etiam accipere.

Tum porrò clarè Christus ibi de illo ipso in externum esum ac potum dato & ab Apostolis accepto asserit, quòd sit corpus ac sanguis eius. Probatur id (tametsi nec ipsi quidem aduersarij hoc negent) cùm ex ipsa demonstratione dati, hoc est corpus meum, tũ et ex demõstratione calicis, Hoc poculũ. Item quod 1. Cor. 10. Paulus disertè dicit: panis fractionem esse communionem aut participationem corporis Christi, & poculi benedictionem aut hausticnẽ esse participationem sanguinis eius, quod dictum profecto arctissimè illa duo, nempe fractionem aut sumptionem panis & uini cum participatiõe corporis & sanguinis inter sese connectit, tanquàm subiectũ & prædicatum, prorsus perinde ac si diceretur, Sumptio aut esus panis est sumptio corporis, & hausticnis

licis

licis est sumptio sanguinis Christi.

IIII.

De perspicuitate & obscuritate uerborum cœnæ Domini acriter litigatur, dum illi quidē ea obscura esse, eoq; interpretatione indigere cōtendunt Nos uero cōtra affirmamus ea perspicua esse, ac in suo natiuo sensu, prout sonant retinenda. Vtra pars rectius sentiat, hinc Christiane lector iudica ac statue.

Quid obsecro te clarius ac certius dici omnino potest, q̃ quod, ut ibi sint duæ tantum res aut uoces primariæ (ut & in omni alia Categorica propositione) uidelicet subiectū & prædicatum, utrunq; clarissimè exponitur: Nam primum subiectum ipsum seu res data tibi digito ante oculos corporis & animi commonstratur: deinde prædicatum, quod illi subiecto tribuitur, id est, corpus ac sanguis protinus nō solum suo uero ac genuino nomine nominatur, sed etiam insuper clarissima definitione circūscribitur? Taceo nunc articulum τὸ, prædicato aut σώματι adiunctum, omniaq; illustrantem, de quo postea suo loco, separatimq; agetur. Ad hoc euidentissimum argumentum perspicuitatis huius locutionis accedit, q̃ bis eam eodemq; modo de utraq; parte repetit, tum subiectum monstrando, tum & prædicatum circumscribendo.

Hæc itaq; est prorsus intuitiua (uti loquuntur) notitia aut sententia, quæ simul & oculis & animo percipitur. Ne quis enim, ut in rerationi humanæ parum plausibili, relicto genuino sensu ad alias speculationes confugeret, ac ocioſe aut potius sophisticè aliquas peregrinas interpretatiunculas comminiſceretur aut cauillaretur, nõ esse hoc illud ipsum uerum corpus Christi sed quoddam mysticum, spirituale, typicum aut figuratum, adijcit statim Christus prædicato specificationem aut explicationem, quodnam aut quale corpus aut sanguinem det, aut se dare ab alijs intelligi crediq; uelit, nempe illud ipsum corpus, quod pro nobis crucifigatur, & illum ipsum sanguinem, qui pro nobis effundatur. Nihil igitur hac assertione clarius aut luculentius dici excogitariue potest, ubi & subiectum digito monstratur, & prædicatum circumscriptione definitur, præterquàd quòd perspicuo notoq; nomine utrunq; nominatur. Quare ueluti catenis quibusdam constringitur lector, ut utrunq; terminum huius propositionis propriè accipiat, uolens nolens.

V.

Consideretur diligenter ipse ordo rerum & actionum, qui cùm in tota Theologia Christianaq; pietate, tum & in cœna Domini occurrit.

currit: Quæ consideratio ad ueritatis lucem plurimum hîc quoq; proderit. Primum enim Deus mittit Legatos suos, uerbo ac sacramentis instructos ad homines, ut eos ad se et ad sui reconciliationem inuitent, 2. Cor. 5 Sicq; se nobis patefacit & ueluti ex æterno illo arcanoq; suæ maiestatis adyto ad nos prodit. Deinde per illa duo media aut organa Deo efficaciter operante, excitatur in cordibus piorum fides, qua nos uicißim ad Deum eiuq; gratiæ thronum accedimus. Tertiò passionem ac meritum Christi seu remißionem peccatorum fide à Deo apud thronum gratiæ eius consequimur, aut Christo eiusq; passione fruimur. Postremò renouamur ac deniq; in uitam gloriamq; æternam transferimur.

Verbum igitur ac sacramenta, quæ primo loco sunt, & ueluti instrumenta quædam in expugnando nostro lapideo corde adhibentur, non sunt propriè, si ipsam essentiam eorum consideres, ipsa spiritualia bona aut meritum Christi, seu spiritualis carnis aut passionis Christi manducatio, ut isti contendunt, sed excitant in nobis fidem, eiq; unicum Dei agnum, peccata mundi tollentẽ, aut tribunal gratiæ monstrant, ac nos eò deducunt, ut ibi spiritualem uictum aliment umq; consequamur, eoq; perfruamur,

sicq; ratione effectus, non autem essentiæ suæ sursum corda abducunt, quod isti nobis perpetuo occinunt.

VI.

Christus iubet nos edere suum corpus & bibere suum sanguinẽ ad sui recordationem. Totam certè illam actionem iubet fieri in sui memoriam, præsertim autem illa ultima, quæ omnino necessariò per pronomen, Hoc facite indicantur. Est uerò recordari passionis Domini prorsus idem quod credere eam aut fide amplecti, & non aliquid à fide diuersum. Nec obstat quòd Paulus exponat uocem memoriam per mortem Domini annunciare: Semet enim admonere aut memoria recolere passionem Domini, (quod singuli in sacra cœna facere tenentur) est cogitare, credere aut fide amplecti eã. Monere autem alios de ea, quod est proprium doctoris, est eos facere credere, aut fidem in illis excitare. Exponit autem ideo Paulus memoriam per annunciare, quia ibi ad totam Ecclesiam & de publica actione loquitur, non propriè singulos separatim instruit. Iam certum est, non spiritualia beneficia nos ad recordationem aut memoriam passionis Christi ducere, Sed cõtrà notitiam aut recordationem passionis Christi nos ad percipiendos eius fructus

deducere

deducere. Memoria aut notitia uel fides est instrumentum aut medium ad percipiendum meritum Christi, non contra. Spiritualis ergo manducatio aut fruitio corporis Christi nõ ante memoriam seu fidem (ut isti eam collocant), sed post memoriam in sacrosancto testamento collocanda est, tanquàm ultimus effectus aut fructus sacramenti. Memoria enim passionis præcedit meriti perceptionem, non contra.

VII.

In uerbis Testamenti Christi manducatio dicitur fieri IN seu AD memoriam passionis eius. Non autem spiritualia beneficia aut spiritualis esus carnis aut passionis Christi fit IN, AD, uel propter notitiam memoriamue, sed cõtrà notitia propter illam spiritualem fruitionẽ est mãdata et ordinata: Omnis enim notitia boni est ueluti aditus quidam aut uia ad cõsequendum agnitum bonũ. Sic & hîc memoria est uia aut medium quoddam ad spiritualem manducationem Christi. Falso igitur ante memoriã aut notitiam ponũt aduersarij spiritualem fruitionem aut manducationem Christi. Respiciantur in hoc argumento uoculæ IN, uel AD.

VIII.

Semper media organa aut instrumenta suũ finem antecedunt, non contra. Non autem spiri-

ritualis fruitio paßionis corporis & ſanguinis Chriſti nos ducit ad fidem mediumúe aut inſtrumentum fidei, Sed contra fides nos deducit ad ſpiritualem manducationem aut fruitionẽ corporis paßionis aut ſanguinis Chriſti, eſtq; ad ea apprehendenda inſtrumẽtum aut manus. Quare cùm in uerbis, facite in memoriam, fides prior prièpræcipiatur, ac omnia præcedentia in hũc uſum, nempe in memoriam aut ad credendum in paßionem Chriſti dirigantur, neceſſariò nõ præcipitur aut datur in illis ſpiritualis, ſeu uiuifica corporis Chriſti manducatio. Dico autem uiuifica, quæ ſua eſſentia aut cauſa formali eſſet noſtri uiuificatio. Nam aliud eſt de effectu aut fructu eius dicere, quo hoc ſacramẽtum eſt alijs ſalutare, alijs contra letale. Obſeruatur igitur inſtrumenta aut media eſſe ante opus aut uſum, non contra.

IX.

Μνημόσυνα memoracula aut monitoria ſpiritualiũ beneficiorum aut ſpiritualis fruitionis Chriſti, ſunt res quædam craßiores aut magis externæ, quàm ipſa ſpiritualis fruitio corporis aut paßionis Chriſti. Per notiora enim ac craßiora ad nobis ignotiora & obſcuriora, à ſpiritu ſancto optimo docendi magiſtro deducimur. Quod in omni recta ſanaq; inſtitutione

uel liberali uel illiberali obseruatur. Sic omnia sacramenta sunt quiddam crassius aut corporalius ipsis adiunctis promissis bonis aut beneficijs, quæ fide apprehendenda sunt. Externa ergo quædã ac crassior mãducatio et hausti corporis ac sanguinis Domini non interna in illis uerbis sacramenti, Edite, Bibite, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, proponitur. Alioqui per obscuriora ad res notiores deduceremur, quod est contra omnem docendi methodũ. Crassiora enim ad res subtiliores deducũt.

X.

Illudquod nos ut medium quoddam aut uia deducit ad perceptionem spiritualium beneficiorum Christi uel per se, uel nobis certè & quodam respectu ipsa perceptione aut fruitione uilius esse debet. Finis enim semper est sua quadam ratione precioſior suo medio aut instrumento, Sed nihil est precioſius aut nobis salutarius spirituali manducatione ac fruitione corporis Christi, utpote quæ est ipsissima uita ac fœlicitas nostra summa. Igitur spiritualis mãducatio corporis Christi non est medium aut instrumentum perceptiõis beneficiorum Christi, eoq; in essentia sacramenti collocari minimè debet, sed in effectu. Finis enim semper suo modo precioſior est suo medio, ut dictum est.

XI. Re-

Rerum ordo diligenter obseruandus est. Is uerò in hoc negocio talis est. Sacramenta quidem nos deducunt ad recordationem aut fidē, Fides porrò ad mortem, unde habemus spiritualem fruitionem Christi eiusue corporis aut passionis. Igitur peruertunt ordinem ac naturam huius longè grauissimi negocij Testamenti Christi, qui ultimum primo loco collocant, nempe spiritualem fruitionem aut manducationem in ipsam essentiam sacramenti.

XII.

Ista locutio aut sententia, quam aduersarij Christo in sacrosancto hoc testamento sua interpretatione attribuunt, uidelicet, fide spiritualiter comedere corpus Christi uel frui eo AD recordationē passionis ipsius, est crassa ineptaque tautologia aut battologia, & simul etiam contradictio. Tautologia est dicere primum Fide spiritualiter comedite corpus meum eoue fruimini, deinde statim addere, ex animo ac spiritualiter recordemini aut memoria recolite meā passionem, utrūq; enim horum est ipsummet credere. Idem profecto sunt ambo hæc, fide frui Christo & spiritualiter meminisse passionis eius.

Contradictio porrò est in ista fœda balbutie, quia nihil fit in sui ipsius memoriam. Omne memoriale

memoriale alterius memoriale esse solet, ut statua alicuius uiri, trophæum alicuius uictoriæ memoriale est. Sic sacramentalis externusq; eius corporis Domini est memoriale & signum passionis eiusq; beneficiorum ac spiritualis fruitionis corporis Christi. Aliud planè esse solet ipsum monitorium aut memoraculũ, quàm id cuius est memoriale: Cùm illud ipsa rei essentia sit seq; coràm præsens hominibus exhibeat, ut nullo prorsus memoraculo indigeat. Sicut ipsimet hactenus multum ac usq; ad nauseam soliti sunt contra nos suis tot acerbis libellis declamitare. Pugnat ergo ipsemet aduersarius secum, qui eandem rem in sui ipsius, seu in eiusdem rei memoriam fieri uult aut asserit, nempe fide frui Christo, in memoriam aut fidem Christi, seu passionis ipsius, quod etiã fide eo frui est. Quid igitur absurdius, quàm sic Christo fædam balbutiem aut battologiam, & insuper contradictionem in suo sacrosancto Testamento tribuere? quasi uel non potuerit rectè loqui, uel etiã studio uoluerit homines decipere in illo suo ultimo agone ac re longè periculosissima, quasi data opera perniciem potius quàm uitam pusillis suis in suo sacrosancto testamento legare uoluisset.

XIII.

Quæ

Quæ fidem antecedunt, eiusq; excitandæ quasi organa, media aut instrumenta sunt, communia sunt pijs & hypocritis: Nam fides primum incipit uerè pios ab hypocritis distinguere. Igitur & tota illa actio utrisq; cõmunis est, quæ fit ad memoriam eamq; antecedit, quam memoriam fidem esse diximus. Sacramenta sanè sicut & prædicatio aut lectio uerbi, prorsus communia sunt utrisq;, sed uera piaq; noticia, memoria ac fructus aut effectus non item.

XIIII.

Instaurator iste aut etiam corrector erroris Zuingliani, etsi facilè uidet absurdum ac impium esse, adhæc etiam uerè ac speciosè posse reprehendi, quòd priores Sacramentarij tantum panem ac uinum in cœna accipi uoluerunt, non etiam corpus ac sanguinem Domini, tamen ueram illam substantialem sacramentalem aut externam manducationem corporis Christi non admittit.

Duo ergo diuersa aut potius contraria sensa ex ijsdem, & quidem tam paucis uerbis sacrosancti Testamenti uiolenter extorquere conatur. Nam uerba, accipite, edite, ac bibite, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, modò (ut externam manducationem quam nos asserimus reijciat) metonymicè uult accipi, per-

inde ac si scriptum esset, hoc est signum corporis aut sanguinis mei: Modò contra uult ibi uerum ac substantiale corpus ac sanguinem dari, & insuper de uerbis Testamenti propriè quod sonant accipiendis sic scribit:

Præterea audio quid uerba sonent. (Quid uero sonat tua metonymia?) Neq; enim mortis tantum ac resurrectionis beneficium nobis offert Christus, sed etiã corpus IPSVM, in quo passus est & resurrexit. Cõcludo REALITER (ut uulgo loquuntur) hoc est VERE nobis dari in cœna corpus Christi. Et mox. Ne dubita impleri à Domino quod uerba sonãt, corpus quod nequaquàm cernis, spirituale esse tibi alimentum. Incredibile hoc uidetur pasci nos carne Christi. Item paulò pòst, in textu suprà citato. Prius ergo membrum significat nobis corpus exhiberi, hoc secundum exprimit quis inde fructus ad nos perueniat. Hæc ille.

Ad quod nos illi merito occinimus esse sacri legam audaciam, sic uerba sacrosancti Testamenti iam metonymicè, iam contrà propriè accipiendo torquere. Iam scribere, quòd Dominus dicat, se dare signum corporis, mox contrà asserere, quòd affirmet Dominus, se dare ID QVOD IPSAMET VERBA SONANT, nempe ipsam essentiam corporis ac sanguinis

sui

sui, idq; uerè ac substantialiter. His enim uerbis ipsemet interdum utitur. Si sic licebit diuersos imò & contrarios sensus in uerbo Dei, præsertim in tam sacrosancta actione ac mysterio, quale est testamentum morientis Domini, confingere, quid tandem certi in tota scriptura habebimus?

Verum enimuerò iste dum persistit in sua Metonymia, & contendit uerba cœnæ de signo corporis ac sanguinis accipienda esse, ut nihilominus possit contra iustissimam accusationem obtendere, se etiam ueri corporis communionem aut participationem docere, solet astutè ad hanc regulam profugere, Signa in rebus sacris non esse nuda, sed cum signis etiam rem ipsam exhiberi. Verum protrahēdus est ex hac ueluti arce sua, ne inde per latrocinia Sophismatū in nos ueritatēq; tutò noxieq; grassetur.

Dicimus igitur Sacramenta, quantum ad suam essentiam aut causam formalem, posse esse nuda signa. Nā postea ratione effectus aut fructus nihilominus sua spiritualia bona secum apportare. De effectu uerò aut fructu, uel ipso aduersario teste, in sequentibus demum uerbis Testamenti agitur, nempe, pro uobis datur, & facite in memoriam mei. Quare nequaquàm nudum signum foret, etiamsi tantum panis & uina

ni sumptio instituta esset, quandoquidem illum tantum thesaurum beneficiorum Christi in posteriore Testamenti Domini parte secum afferret, & quasi in tergo apportaret.

Exemplo nobis sit sacramentum baptismi, ubi primum essentia eius est, baptisari aqua, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: postea effectus eius & promissio est, in remissionẽ peccatorum, aut: Quicunq; crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. In eo sacramento aquæ lotio significat nos sic spiritualiter per hoc sacramentum ablui sanguine Christi ab omnibus peccatis. At non propterea necesse est ibi sonare substantialis aut realis sanguinis Christi ueram realemq; præsentiam aut lotionem in ipsa essentia huius sacramenti, quia id uerba eius sacramẽti non pollicentur. Nec tamen propterea baptismus nudum signum aquæ aut lotionis est, quandoquidem (Deo id agente) tantos bonorum thesauros spiritualemq; ablutionẽ aut mundationem & etiam renascentiã suã efficacia in nobis operatur, ac ueluti in tergo affert. Quare redeũtes ad uerba cœnæ respondemus aduersario, Sophisticã istam cauernam aut latibulum grassantium expugnatam esse. Cuiusuis enim textus non nisi unus, uerus, prorius ac genuinus sensus esse solet ac potest. Er-

go aut dicit Christus in suo Testamento se do
signum tantum corporis ac sanguinis sui, quo
uult tua metonymia, & illud solum uere fier
credendum est, nec quicquam aliud: Aut co
tra affirmat Dominus, se, quod sonant uerba
ipsummet suum uerum ac substantiale corpu
ac sanguinem dare, Et sic tantum nostra senti
tia de substantiali præsentia & corporali sum
ptione corporis Christi utraq; manu retinenda
est. Non aliud licet sacrosancto Testamento
Christi (loquor de uero ac principali sensu: al
ud enim est postea typis, allegorijs & significa
tionibus ludere) affingere, quàm quod ipsa
uerba Domini continent, siue illa figuratè, siue
propriè accipienda sunt. Volens ergo nolens
cogeris in alterutro tantum sensu persistere.
Quod cùm non facis, pugnas tum cum textu, u
eius authore, tum deniq; tecum ipse.

XV.

Sacramenta ratione suæ essentiæ sunt testa
Paulo σφραγίδες, id est, signa promissæ iusti
ficationis. Idem & aduersarij nusquàm non no
bis occinunt, affirmantes, sacramenta esse si
gna fruitionis corporis, nõ ipsas res aut bene
ficia seu spiritualem fruitionem Christi. Quare
illa spiritualis manducatio aut fruitio nequaq
potest habere locum in descriptione ipsius e
sentia

sentiæ sacramẽti aut signi, nempe in uerbis, Accipite & comedite hoc est corpus meum, nisi uelint dicere contra omnem rationem, idem esse signum et signatum, & istud dogma aut locum communem tantopere hactenus ab ipsis contra nos declamitatum ac propugnatum ipsimet nunc ueluti per turpem quandam palinodiam reuocare & ultro conuellere.

Sed dicent illi fortè, tuo te gladio iugulabimus: si enim sacramenta sunt sigilla aut signa, ergo non sunt ipsummet corpus Christi aut eius perceptio? Respondeo. Sicut baptismus seu illa lotio externa est signum internæ simul & imputatæ ablutionis, quæ etiam effectus baptismi est, non ipsa eius essentia: Sic & Sacramentalis externaúe manducatio panis & uini corporisq; ac sanguinis Domini est signum & etiã medium aut instrumentum seu memoriale spiritualis manducationis aut fruitionis Christi quæ sola fide peragitur, sicut ipsemet Christus scopum aut finem aut rem significatam huius sacramenti dicit esse memoriam passionis, seu illius sacramento appensi, PRO VOBIS DATVR, PRO VOBIS EFFVNDITVR. Non est ergo hoc sacramẽtum propriè signum ipsiusmet corporis, sed beneficiorum ex passione prouenientium, seu illius spiritualis fruitionis,

quæ fit per solam fidem.

XVI.

Christus uoluit omnia suæ passioni necessario coniuncta per semetipsum peragere, ipsemet fuit sacerdos offerens, ipsemet fuit victima oblata, ipsemet fuit mediator percutiēs fœdus inter nos & Patrem de sua passione ac meritis eiusq; beneficijs nobis communicandis. Ipsemet intulit sanguinem suæ uictimæ in feriendo hoc fœdere in sancta sanctorum ad suum Patrem. Ipsemet etiam sanguinem suum ad nos extulit ad confirmandum erga nos quoq; perinde, ut erga patrem suum fœdus testamenti, ut ipse etiam clarè sanguinem datum in cœna sanguinē noui Testamēti aut fœderis, nempe quo hoc nouum Testamentum aut fœdus inter Deū & homines, communicato eo utriq; parti, sanciebatur: Omnia igitur ista per ipsum & in ipso, ipsiusq; proprio ueroq; corpore & sanguine peraguntur. Quare uerum natiuumq; sanguinem ac corpus suum nobis in sacra cœna impendit.

XVII.

Vetus testamentum umbris, signis ac umbratilibus rebus sancitum est. At nouum ipsa dudum significatarum rerum ueritate ac soliditate: Sicut disertissimè Apostolus Paulus in Epistola

stola ad Hebræos urget, hoc fœdus multo meliore sanguine sancitum confirmatumq; esse, quàm illud prius. Sceleratè ergo peruertitur sacrosanctum Testamentum Christi, dum eius uerba à uero sanguine in typicum & figuratum uiolenter transferuntur.

XVIII.

Paulus & Ioannes uocant Christum Paschæ nostrum, eumq; dicunt pro nobis immolatum. Sicut igitur olim sanguine illius agni paschalis signabantur domus ac postes Israelitarum in signum ac testimonium, quòd illis parcendum esset: Sic & nos iam nostri agni paschalis sanguine linimur in signum, testimoniũ ac fœdus, quòd Deus nobis esse propitius, nobisq; ab angelo percutiente parci uelit: Verus igitur nostri paschalis agni sanguis nobis in hoc sacrosancto fœdere datur, nosq; eo signamur.

XIX.

Perpetuus hic mos ac ius fœderum fuit, ut de eiusdem fœderalis uictimæ carnibus & suo modo etiam sanguine utraq; pars confœderandorum participaret: Quare & hîc Christus suum corpus ac sanguinem tum Patri in sua passione obtulit, tum & nobis uescendum in communione tradidit: Qua de causa etiam sacrosanctum hoc fœdus cum sua passione coniunxit, ut ita

uno eodemq; tempore utriq; parti per fœdus hoc cõiungendæ, suæ fœderalis uictimæ sanguinem tradere posset.

Quòd si diuersis uictimis aut sanguinibus sanxisset hoc fœdus erga Patrem, q̃ erga homines, non perinde utraq; pars ad id teneretur ac obligaretur, certaue de eius ueritate aut ualore esse posset, certum igitur est eũdem sanguinem Testamenti aut fœderalis uictimæ utriq; parti exhibitum esse. Quibus adijce & illud, quòd Christus fuit mediator nõ tantum noster erga Deum, sed & Dei erga nos, nec tantum cum Patre nostri causa egit, sed etiam nobiscum Patris gratia, ut nos ipsi uicißim adiungeret, nosq; de Patris uoluntate confirmaret. Sicut ergo Patri sese obtulit placando eum, & feriendo nostro nomine cum eo fœdus, ita etiam ad nos conuersus, nobis semet, dato corpore & sanguine suo, in sanciẽdo hoc nouo fœdere aut testamento communicauit.

XX.

Illud Argumentum est etiam in priori scripto, seu in Fideli admonitione mea expositum, quod tamen hic quoq; breuiter repetemus, quidoquidem maximi momenti est ad constabiliendam ueritatem, nempe quòd in ueteri Testamento in feriendo fœdere de eiusdem fœderalis uictima

ſtimæ ſanguine tum Deo oblatum eſt, tum & in populum atq; adeo etiam librum fœderis ſparſum. Quin etiam ijſdem uerbis illud fœdus ſanctum eſt, quibus Chriſtus in dando nobis ſanguine ſuo uſus eſt, quæ habetur Hebr. 9. τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, Hic eſt ſanguis Teſtamenti &c. Idem etiam angelus ac mediator Chriſtus tum quoq; populum per Moſen duxit, & illud fœdus inter Deum & homines ſanxit. Omnia ergo iſtorum duorum fœderum conueniunt, eademq; ratio feriendi fœderis utrobiq; eſt. Vel potius hoc nouum ex illo tranſumptum eſt, eoq; eius naturam ac proprietates refert, ac in ſemet continet.

Quare conſenſus actionis ac uerborum fœderis huius cum illo oſtendit hoc fœdus inde ſumptum eſſe, eiusq; naturam referre, eodemq; modo hic quoq; fœderalis uictimæ ſanguinem utriq; parti confœderandæ exhibitum, ac perinde quoq; uerba ſacræ cœnæ, propriè accipienda eſſe, & non figuratè, ſicut & ibi propriè accepta ſunt, quandoquidem eadem ac in ſimili re ibi uſurpata ſunt, nempe, Hic eſt ſanguis Teſtamenti &c. Euidentiſſimè igitur iſta duorum fœderum collatio in ſacra cœna exhiberi communicationem corporis Chriſti demonſtrat.

XX.

Quòd Corinthij olim habuerint sacramentarium quoddam somnium de nuditate panis ac uini, deq; absentia Christi à sacra sua cœna in cælo, sequentibus rationibus probari potest.

Primùm clarè id affirmat Paulus, cùm dicit eos non dijudicasse corpus Domini, id est, non cogitasse esse ingens discrimen inter id, quod in illa cœna comedebant ac bibebant, & quod in alijs cœnis aut cõuiuijs sumerent. Cogitauerũt ibi perinde esse tantum corporalem panem ac uinum, & nihil aliud, sicut & alibi in sacris cõuiuijs aut etiam profanis: Ideoq; incogitanter epulantes non discreuerunt aut dijudicauerunt corpus ac sanguinem Domini ibi sumptum à pane & uino alioqui comesо. Assueti igitur ad sacra conuiuia idolorum cogitauerunt, simile aliquid habere illud Christianum conuiuium cum Ethnicis idolothytorum, nisi quòd fortè alium esset finis. 2. Non dijudicabant semet, putantes sumptionem communis cibi nõ indigere magna præparatione. 3. Quia esset tantum panis ac uinum utrobiq;, ideo putarunt se posse perinde simul in templo idolorum & in Ecclesia sine noxa aut crimine panem cœnæ manducare. 4. Nihil minus iudicauerunt, quàm se comedendo illum purum panem & purum uinum,

uinum, quæ coràm cernebant, fieri reos corpo ris & sanguinis Domini, qæ nec uidebant, nec adesse credebant: Quare id eis Paulus indicare necesse habuit. 5. Non potuerunt cogitare, quòd Deus irasceretur aut eos puniturus esset, si paulò liberius, & (ut ita dicam) minus reue= renter aut Religiose sumerent panem ac uinũ. 6. Si credidissent se corpus Domini ibi sume re, nihil attinuisset ita per interrogationem nõ sine acerbitate ac stomacho erga eos affirmari & inculcari, panis fractionem esse communio= nem aut participationem corporis, & uini be nedicti sumptionem esse participationem san= guinis Christi. 7. Quid uerò attinuisset tam sollicitè ac plenè recensere Christi institutio= nem, eisq; inculcare seperatim de pane, quòd sit corpus Christi, & seperatim de calice aut uino, quòd sit sanguis Christi, quodq; illo ipso sanguine ibi fœdus aut sacramentum illud con firmetur? 8. Eodem facit, quòd Paulus sum= pturus argumentum à ueteribus Iudæis, qui su= is mysterijs abutendo perierant, & id Corin= thijs applicaturus, magno studio quærit, quid= nam simile in eorum ritibus reperiri posßit, quod cum Christianis sacramentis conferri que at. Ac reperit tria, Primum transitum per a= quas maris rubri, & umbram roßidæ nubis, quæ

confert cum nostro baptismo. Secundò comparationem Mannæ, quam confert cum communione corporis Christi. Et deniq; potionē extra, quam confert cum potu sanguinis Christi in sacra cœna sumpto. Nec contentus est reperisse tria quædam illorum miraculosa mysteria, quæ nostris sacramentis aliquo modo correspondérent: Sed etiam, ut illorum collatiōe hæc nostra tanto cōmodius illustret, studio ea à terreno auentris usu in cœlestem quendam religionis usum extollit, cū ea illis propriè externæ utilitatis ac necessitatis gratia, & non Religiōis ergò, seu ut essent religionis pars Iudæis olim data fuissent. Primū ergo humidam nubē & maris rubri transitum cū nostro baptismo comparans, dicit illos quoq; sua quadam ratione illis miraculis in Mosen baptizatos esse. Deinde accedens propius ad sacramentum cœnæ, quo docet Corinthios in ea non tantum terrenum panem ac uinum sumi, ut illi carnales epulones putabant, Sed etiam cœlestem ac spiritualem, eosque ad religiosam quandam reuerentiam rerum sumendarum & sollicitam quandam dijudicationem corporis ac sanguinis Domini ibi percipiendi permoueat, non patitur eā humi solum iacere, nec dicit manna & aquam esse cibum ac potum corporeum aut carnalem,

ſicut Iudæi illa olim tantum, ut carnalia quædam aſpiciebant: Sed dicit manna eſſe eſcam ſpiritualem & aquam eſſe potum ſpiritualem. Eſt uerò hîc diligenter natura collationum expendenda. Studio enim aliquando etiam contra rei naturam id ſimile, cuius collatione aliquid aliud illuſtrandum eſt, nonnihil inflectitur, extollitur, aut deprimitur, uel alioqui nõnihil immutatur, ut tanto aptius illud præcipuum declaret aut amplificet. Quare cùm hîc mannæ & aquæ fluenti tribuatur quòd fuerint etiam ſpiritualis aut cœleſtis cibus ac potus, cum reuera propriè ad corporalem ſuſtentationem data fuerint, liquido oſtendit Spiritus ſanctus, multo magis ſacræ cœnæ cibum potumq; non eſſe tantum terrenum panem ac uinum, ſed etiam cœleſtem, id eſt, uerum corpus ac ſanguinem Chriſti, quo tamen tam indigni ſibi in exitium ueſcantur, quàm digni ad ſalutem, ſicut & olim in Iſraelitico populo factum ſit. Quæ omnia eo fine dicuntur, ut ſcirent ac crederent Corinthij non tantum communem ac terrenum panem ac uinum in ſacra cœna apponi, ſed etiã cœleſtem ac ſpiritualem, corpus nempe ac ſanguinem Domini, quæ ex æquo ab omnibus dignis ac indignis, ut & illa Iſraelitarum myſteria, ſumerentur.

Quo

Quo uerò etiam magis amplitudinem rerũ in sacra cœna omnibus datarum extollat & uerum esse sanguinem Christi monstret, docet illam aquam non tam ex carnali rupe fluxisse, q̃ ex ipsomet Christo eos comitante, ut ostendat, sic etiam nostrum sacrum potum in cœna per illam aquam præfiguratum ac ueluti depictum & prædictum, quasi ex latere perpetuò Ecclesiam comitantis & ubiq; in sacra cœna præsentis rupis nostræ Christi in sacrum calicem, atq; adeo ora Christianorum (ut olim Patres locuti sunt) fluere. Atq; huc pertinet quòd suprà tractatum est, Veterum typos ac umbras, quando quidẽ isti contendunt illam petram typum Christi fuisse, nunc rerum ueritate repræsentari aut exhiberi præstariq;.

Hæc omnino est sententia loci Paulini, sed Laconismus Hebræus eã nonnihil obscurat. Nõ enim semper illi utrunque membrum collationum, parabolarum aut similitudinum proponunt, sed crebrò tantum alterum, ac in eo aliquas uoces ex utroq; membro sumentes remixtam complectuntur. Multo alioqui magis conspicua fuisset sententia, si dixisset Paulus, Sicut illi digni ac indigni sumpserunt nõ tantum carnalem, sed & spiritualem escam ac potum, nec tamẽ propterea saluati sunt: Sic & uos sci-

tott,

tote, nos non tantum panem frangere & poculum benedicere, sed etiam sumere communionem, aut participare de corpore & sanguine Christi. Sed ad rem. 10. Postquam igitur Paulus depinxit nostra sacramenta illorum Israeliticorum mysteriorum collatione, pergit de uerè spirituali, salutari aut uiuifico fructu illorũ ac nostrorum mysteriorum agere, Quòd sicut illo ipsi olim priuati sint, abutendo talibus Dei miraculis & malè uiuendo, ita & Corinthijs accidet.

Ex hisce liquidò apparet, Corinthios prophanis suis cogitationibus deceptos putasse, se tantum purum panem ac uinum sumere, & tametsi esset religiosum cõuiuium, tamen perinde panem ibi esse purum panem & uinum nil nisi uinum, sicut in idolatricis conuiuijs. Quare Paulus eorum prauam opinionem redarguens etiam nostri temporis Sacramentarios redarguit.

XXII.

Anteſignanus ſacramentariorum, ut tollat ueram ſacramentalem ac corporalem manducationem corporis Chriſti ex uerbis cœnæ, ſpiritualem aut myſticam quandam ſubſtituit, quæ deſcribitur Epheſ. 5. cap. ut ſiamus caro de carne & os de oſſibus Chriſti. Atq; hanc (ut ita dicam)

dicã)incorporationẽ facit mediũ aut instrumentum appræhendendi meriti Christi & iustificationis, ut sit hic ordo actionũ, primũ credere, deinde per fidẽ mysticè comedere corpus Christi, ut fias caro de carne, et os de oßibus eius: ac deniq; sic comeſo ac obtẽto Christo, meritũ eius ad iustificationẽ cõsequaris. Qui ordo ac progreſſus iustificationis prorsus idẽ eſt cum eo, quem Oſiander in ſuæ hæreſeos confeßione cõmentus eſt: Adſcribã utriusq; teſtimõia, primũ Oſiandri, deinde iſtius. Secũdò (inquit Oſiander) ſanctũ Euangelium affert nobis in uerbo externo ĩternũ uerbũ Dei Patris, qđ apud ſe & ex ſe ab æterno generat, quod etiam uerus Deus & Deus ipſe eſt. Hoc autem uerbum non uerbõino nudũ, ſicut in ſua natura diuina abſolutum eſt: Ita. n. nõ poſſemus ipſum appræhẽdere, ſed ſicut eſt caro factũ, et eſt Dominus ſaluator, & unicus mediator noſter Ieſus Chriſtus dei et Mariæ filius, uerus Deus et homo, propter pctã noſtra mortuus, et propter iuſtificationẽ noſtram excitatus: Is deinceps p fidẽ habitat in corde, aĩa & ſpũ noſtro, ut uerus Deus & uerus hõ.

Cũ aũt æternũ aut uiuũ uerbũ Dei, qđ ipſe Deus eſt, uidelicet Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ unà cum Patre & ſpũ ſancto per fidem apprehendimus, & hoc modo inhabitantẽ in nobis habemus, tum Euangeliũ cui credimus, uim ſuam

ulterius exerit, ita ut per uerbũ à morte peccati in Deo iterum uiuificemur & illuminemur.

Etenim sicut palmes succũ & spiritũ, quibus uiret et fructificat, ex uite nullo modo cõcipere põt, nisi sit cũ stipite et ligno uitis unũ corpus, Ita nec nos possumus diuinã uitam, iusticiã, sanctitatem, aut ullam aliam diuinã uirtutem ex diuina essentia percipere, aut assequi ulla rõne, nisi prius per fidem et baptismũ in Domino nostro Iesu Christo simus incorporati, Sicut Paulus Ephes. 5. testatur, inquiens: Membra sumus corporis eius, de carne eius et ossibus eius.

Ergo sicut naturalis uita hoĩs è corde oritur, et p oĩa mẽbra corpis diffunditur, ita etiã diuina uita quæ ĩ uerbo est, oritur ex Christo Iesu, q̃ ipsum uerbũ est, & illustrat oĩa mẽbra mystici sui corpis, q̃d est ecclesia credentiũ, et uiuificat ea oĩa ĩ se ipso, q̃ est uerus Deus et uita æterna.

Tertiò, cũ Euangeliũ nobis uerbũ Dei, quod Deus ipse est, ex purissima uirgine Maria natũ, caro factum, Iesus Christus Dominus & saluator noster est, per fidem ad hunc modum in cor, animam & spiritum nostrum affert, ut per illud suscitati in Deo, et ex Deo iterũ uiuamus, imò Deus ipse nostra uita sit, tũ uirtutẽ suã ulterius exerit, ut nos etiã iustificet, hoc est, nos iustos efficit, planè et oĩ modo, quo nos etiam uiuificat.

Ita & hic, cùm scriptura dicit fidē nobis imputari ad iusticiam, nō oportet fidem solam intelligi, uerumetiam Christum uerum Deum & hominem, quem fides in uerbo apprehendit, & in sese includit, ita ut Christus per fidem in nobis habitet, & nos membra corporis eius, Caro de carne eius & os ex ossibus eius fiamus, ut etiam diuina eius natura in nos quoq; ut membra eius ueniat, ipseq; ita totus & indiuisus noster uita, sapientia, iusticia & sanctitas sit.

Præterea errāt nōnulli alij ex ijs quoq; qui uerbum imputandi rectè intelligunt, fatentur meritum & iusticiam Christi nobis imputari, sed sic tantum, ut omnino Christus cum sua iusticia in nobis non habitet, Et cùm 2. Cor. 5. dicitur: Deus eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei in ipso. Vnde irrefragabiliter probatur, nos non posse iustificari, aut iusticiam Dei consequi, nisi simus in Christo membra corporis eius, de CARNE eius, & ex OSSIBVS eius.

Quemadmodum Euangelium internum & uiuum uerbum Dei, quod Deus ipse, ex pura uirgine natum, Caro factum, Iesus Christus Dominus & saluator noster est, per Fidem nostram in corda nostra ita adducit, ut per ipsum à morte peccatorum resuscitati in Deo & ex

Deo

Deo iterum uiuamus, imò Deus ipse uita nostra sit: Ita idem planè uerbum Dei, Deus ipse, Iesus Christus, Dominus & saluator noster est, etiam iusticia nostra, & iustificat nos per seipsum.

Hoc est quod Paulus dicit, Ex quo estis & uos. Vnde autem habemus hanc gratiam, quòd ex Deo nati, diuinæ naturæ consortes sumus? Respõdet Paulus, In Christo Iesu. Nisi enim per fidem & baptismum in Iesum Christum ità incorporati essemus, ut membra corporis eius, de carne eius & ossibus eius, & cum eo una caro essemus, ut Paulus ad Ephes. 5. scribit, non possemus diuinæ eius naturæ consortes fieri. Sicut enim palmes è uite excisus non potest succi èuite particeps esse, & sicut membrum è corpore recisum non potest uitam ab anima suscipere: Ita nec nos diuinæ naturæ siue diuinæ essentiæ, quæ uita, lux & iusticia nostra est, participes esse possumus, nisi per humanam eius naturam tanquàm è capite in nos tanquàm illius membra promanaret.

Hactenus audiuimus sententiam ac uerba etiam Osiandri prolixè de modo & medio perueniendi ad iustificationem, quæ talis est, quòd Christus per uerbum ac fidem in nos intrat, ac in nobis habitat, nosq; ità immutat, renouat &

sibi penitus ut ita dicam incorporat, ut fiamus caro de carne & os de ossibus eius, per quam incorporationem iusticiam Christi consequamur. In qua sententia exponenda diligenter inculcat dictum ad Ephes. 5. quòd simus caro de carne eius & os de ossibus eius. Sicut & iste renouator sacramentarij certaminis solet.

Nunc audiamus etiam istius alterius sententiam ex eius propriis scriptis, qui prorsus eodem modo eisdemq; testimonijs ac penè etiam uerbis modum appræhendendi iusticiam & alia Christi beneficia describit inquiens:

Dico igitur in cœnæ mysterio per symbola panis & uini Christum uerè nobis exhiberi, ra deoq; corpus & sanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis iusticia adimpleuit, quo scilicet primum in corpus unum cum ipso coalescamus, deinde participes substantiæ eius facti in bonorum omnium communicatione, uirtutem quoq; sentiamus, &c.

Super 6. caput Ioannis idem inquit, Necte etè etiam illi, qui Christi carnem prodesse dicunt, quatenus crucifixa est, comesam uerò nihil nobis afferre, quin potius comedere eam necesse est, ut crucifixa prosit.

Super. 1. Cor. 11. inquit, Videamus, quomodo nobis detur corpus Christi. Quidam nobis da-

ri

ri exponunt, dum participes efficimur omnium bonorum, quæ nobis Christus in corpore suo acquisiuit, dum fide inquam amplectimur Christum pro nobis crucifixum & à mortuis excitatum, eoq; modo efficaciter omnibus eius bonis communicamus: Qui sic sentiunt, fruantur sanè illo sensu, Ego autem tunc nos demum participare Christi bonis agnosco, quando ipsum Christum obtinemus, obtinere autem dico non tantum cùm pro nobis uictimam factum esse credimus, Sed dum in nobis habitat, dum est unum nobiscum, dum eius sumus membra ex carne eius, dum in unam deniq; & uitam & substantiam (ut ita loquar) cum ipso coalescimus.

Ibidem ait.

Cæterùm hoc secundum est membrum promissionis, quod leuiter prætereundum non est, neq; enim simpliciter & sine adiectione Dominus corpus suum nobis offert. Sed quatenus pro nobis immolatum fuit. Prius ergo membrum significat nobis corpus exhiberi, hoc secundum exprimit, quis inde fructus nobis proueniat.

En uides istum aduersarium cum Osiandro ad amussim prorsusq; cõsentire de modo ac medio apprehendendæ iustificationis, quæ secundum eorum opinionem fiat per illam tam arctã & planè intimam inhabitationem Christi, qua

ita edamus Christum, ut fiamus ac simus caro de carne et os de ossibus ipsius, quamq; iste aduersarius uult esse illam ipsam manducationē corporis Christi, quæ sit instituta in sacra cœna. Vtuntur ambo non tantum eadem summa sensus, in hoc dogmate, sed etiam ijsdem sententijs, scripturæ locis, atq; adeo etiam magna ex parte uerbis, ut conferenti ipsorum dicta liquidissimè patet. Eodem ergo in hac parte errore laborant.

XXIII.

Etsi autem hæc Osiandrica iustificationis ratio satis Dei beneficio & à multis hactenus eā refutata, adijciemus tamen adhuc unum atque alterum testimonium scripturæ cōtra eam.

In eo ipso loco Ephes. 5. unde aduersarius uel maximè istam suam mysticam manducationem probat, primum lauatur & mundatur Ecclesia, deinde demum sistitur Christo ut gloriosa & munda sponsa, eiq; coniungitur. fitq; caro de carne & os de ossibus eius, seu ipso in ea habitante in illum incorporatur. Præcedit ergo Remissio peccatorum & ablutio per sanguinem Christi illam ipsam incorporationem aut summam sponsi cum ea cohabitationem, de qua eo loci agitur. Non ergo per illam inhabitationem diuinitatis iustificamur, sed contra

habitatio

habitatio iustificationis effectus est.

Verùm eadem ista coadunatio & quasi quædam finalis connexio Ecclesiæ cum Christo etiam plenius Ezec. 16. describitur, ubi Christus primum eam inuenit desertam, derelictã ac immundam & in suo sanguine uolutatam. Deinde eam educauit, mundauit, uestiuitq; & sibi tandem adiunxit:

Sic & Christus Ioannis 14. primum ponit seruationem sermonum Dei, id est, ueram fidẽ, postea dilectionem aut fauorem Dei erga seruantem, id est, iustificationem credẽtis, postrèmò cohabitationem Dei ac filij eius cum credẽte. Igitur incorporatio ista aut mystica manducatio effectus est iustificationis, non medium aut causa efficiens eius uel modus apprehendendi eam.

Primum mundatur & consecratur templũ Domino, postea is in eo habitat, ut talis mundatio. 2. Cor. 6 plenius describitur, & 2. Timot. 2. Si quis se expurgauerit, erit uas Domino. Ista piorum in Christum incorporatio aut mystica manducatio nihil est aliud quàm renouatio hominis per spiritus sancti inhabitationem, ut modo ipsummet aduersarium eam hisce uerbis exponentem audiuimus, cùm inquit: Ego autẽ tum demum nos participare Christi bonis agno

sco, cùm Christum ipsum obtinemus, obtineri autem eum dico, dum in nobis inhabitat, &c. En audis eum dicere, idem esse participationē & inhabitationem Christi. At renouatio seu instauratio hominis per inhabitationem diuinitatis est reuera effectus aut certè cōsequens iustificationis, non antecedens aut causa efficiēs. Alioqui præcedent bona opera & nouæ uirtutes iustificandum, non sequentur iustificatum, cōtra Augustinum & totam scripturam.

Quin & ipsemet Antagonista passim in suis libris confitetur renouationem sequi post iustificationem, Vide eius Antidotum contra sexta Sessionem Synodi Tridentinæ.

Ephe. 2. clarè primum collocatur iustificatio per gratiam, deinde renouatio seu cōditio ad quem ad bona opera. Quæ conditio ac creatio fit per inhabitationē Christi eiusq; Patris ac spiritus sancti in nobis, nostramúe in eum incorporationem. Idem planè est renouari, quod fieri os de osse, & carnem de carne Christi. Non potest certè negari, inhabitationem Christi ac spiritus sancti in nobis esse ipsam hominis renouationem. Nostri uerò illa incorporatio in Christum, ut fiamus caro de carne & os de ossibus eius, est idem cum ipsius in nobis inhabitatione. Præcedit ergo iustificatio hanc manducationem

ducationem corporis Christi, quæ est ipsius in nobis inhabitatio adeo arcta, ut fiamus caro de carne & os de ossibus eius.

Semper scriptura docet nos per fidem iustificari & non per renouationem aut inhabitationem. Paulus primum describit iustificationem Rom. 3. & 4. postea cap. 5. donationem spiritus eiusq; diffusionem in corda nostra.

Renouatio per inhabitationem est initium aut arrhabo ipsius fœlicitatis & obsignatio iustificationis. Igitur non est medium ad apprehendendam iustificationem. Hinc liquet ipsum Antagonistam sibimet contradicere, qui manducationem corporis Christi seu perceptionem eius inhabitationis ac renouationis iam uult esse medium apprehendendæ iustificationis, iam eius consequens ac ueluti effectum.

Ex commemoratis hactenus, aliisq; innumeris sacræ scripturæ testimonijs, liquidò patet, falsum esse hoc dogma de tali medio apprehendendæ iustificationis & aliorum beneficiorum Christi per talem corporis ipsius in sacra cœna manducationem, qua ipse in nobis habitet, nosq; caro & ossa eius fiamus.

Hinc porrò necessariò sequitur, non istam mysticam manducationem institui in sacra cœna & in uerbis illis, Accipite, edite, bibite, hoc

est corpus meum, hic est sanguis meus. Sed aliam, sacramentalẽ scilicet, eoq; istos impiè uerba cœnæ Domini peruertere.

XXIIII.

Zuingliani priores in prædictis uerbis cœnæ tantum illam manducationem corporis Christi collocauerãt, quæ esset perceptio fructuum, beneficiorum seu efficaciæ aut meriti corporis sanguinis aut passionis Christi, id est, remissionis peccatorum aut iustificationis per fidem. Eam uero manducationem præsens eius erroris instaurator ex prædictis cœnæ uerbis explosit, & aliam nempe manducationem inhabitationis aut incorporatiõis pro ea substituit, quæ esset medium aut aditus ad illam, quod in mea Fideli admonitione citatis eius proprijs dictis ostendi. Nunc porrò liquido ex prædictis apparet etiam istam ipsius mandaucationem inde explodendam esse. Ergo reiectis alijs comestionibus corporis Christi, necessariò sequitur, nostram hanc sacramentalem aut corporalem, quæ sola supereſt, ibi à Christo institutam sanctamq; esse.

XXV.

Porrò obseruetur & illa palpabilis huius erroris contradictio, qua semetipsum redargu it ac euertit. Dixi in mea Fideli admonitione et

etiam

etiam suprà, duas esse partes sacrosancti huius Testamenti, alteram, in qua essentia huius sacramenti describatur, uidelicet, usq; ad uerba, Quod pro uobis traditur aut effunditur: Alteram, in qua effectus fructus aut usus eius indicetur. Quæ distinctio est summa diligentia obseruanda ac retinenda. Eam distinctionem iste cõprobat hisce suprà quoque recitatis uerbis. Quod pro uobis datur &c. Cæterùm hoc secũdum est membrum promissionis, quod leuiter prætereundum non est, neque enim simpliciter & sine adiectione Christus corpus suum nobis offert, sed quatenus pro nobis immolatum est. Prius ergo membrum significat nobis corpus exhiberi, hoc secundum exprimit quis inde fructus ad nos perueniat.

Idem quoque autor uerissimè dicit Ephes. 5. Sacramenta nos ducere ad Christum, esse ceu organa, per quæ Christus nos mundet. Verba eius inter alia hæc sunt. Hic demum uerus ac rectus sacramenti usus est, rectà nos ad Christum manuducere. Nota ad Christum adducere esse effectum aut fructum sacramenti, & non ipsam eius essentiam aut substantiam. Item in Harmonia docet potione sanguinis Christi sanciri hoc fœdus, ut sit efficax, quod idẽ est ac si diceret, potionẽ sanguinis præcedere omnino efficaci-

am huius sacramenti. At contra negari non po
test, & ipsemet artifex istius dogmatis pas-
docet inhabitationem Christi in nobis, qua re-
nouamur, & ita in eum transmutamur, ut fia-
mus caro de carne & os de ossibus eius, esse u-
num ex præcipuis ipsius beneficijs, quæ post-
ad Christum adducti simus, ab eo accipiamus.

Quare palpabiliter secũmet pugnat, dum
istam manducationem Christi iam facit essenti
am sacramẽti, iam effectũ ex eius efficacia pro
uenientem: iam facit eam nos deducere primum
ad Christum, iam beneficium ac donum Chri-
sti, quod postquàm ad Christum adducti sumus
& per eum ad thronum gratiæ accessimus, ipsi
us intercessione à Patre consequamur, cùm hæc
longissimè inter sese distent. Longè enim aliud
est digitus & sermo Baptistæ agnum Dei mon-
strans, quæ sunt uerba ac sacramenta nos ad
Christum ducentia, aliud mea accessio aut fi-
des ad agnum, & per eum ad Patrem uel thro
num gratiæ: Aliud deniq; beneficia, quæ, post-
hunc agnum aut mediatorẽ accessi, per & pro
pter eum impetro à Deo Patre, quæ sunt iusti-
catio, filij eius ac spiritus sancti inhabitatio, seu
renouatio, aut nostri in eum (ut ita dicam) in-
corporatio, & deniq; uita æterna.

XXVI

Præcipuum

Præcipuum aduersariorum argumentum, quòd quidem ex sacris literis proferunt, est q̃ dicunt Iohan. 6. clarè à Christo reiectam damnatamq; esse corpòralem aut externam manducationem corporis Christi, cùm (ut isti intelligunt) Capernaitæ quærunt: Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducãdum? Et contra contendunt ibidem esse assertam spiritualem manducationem fidei. Igitur illic Christum reiecta nostra & comprobata ipsorum sententia controuersiam præsentem iam olim dilucidißimè decidisse.

Verùm Christus ibi non agit de sacra cœna, eamq; nec cõstituit, nec exponit, quod eis plus centies responsum est. Quare iniustè imò impiè agunt, qui aliena loca & de alijs rebus agentia ad euertendum genuinum sensum sacro sancti Testamenti Christi uiolenter trahunt.

Præterea nec auditores ibi modum edendæ carnis Christi nosse cupiunt aut quærunt, nec Christus eum illis exponit, multo minus externam manducationem corporis sui improbat, ut postea liquido patebit.

Quo uerò clarius ueritas eluceſcat, & hoc sophisma aduersariorum retundatur, paulò plenius de eo loco agemus. Obseruetur igitur primum occasio, initiũm et propositio huius cõ

cionis

cionis aut disputationis, quo facilius veritas & genuinus sensus percipi queat. Eam autem breuiter proponam.

Iudæi, paulò antè ultra lacum gratis panibus saturati, sequebantur Christum magis ventris quàm pietatis studio, cupientes eum fieri suum regem, seq; etiam porrò sic gratuito ab eo ali. Hanc ventris peruersam curam eis exprobrat Dominus, eosq; iubet quærere ac sectari spiritualem fœlicitatem cœlestemq; panem, seq; eum cœlestem ac viuificum panem esse affirmat. Exponit etiam breuiter rationem quærendi & edendi istum cœlestem panem, nempe ut credant in se.

Illi verò negant se ei posse credere, cùm nulla eximia miracula faciat. Mosen enim multò maiora fecisse, dando cœlestem mannam, nec tamen tam grandia de se iactasse, aut postulasse, ut quisquam crederet, eum vel de cœlo venisse, vel saluatorem mundi esse.

Christus contrà contendit, se illis multò nobilius & salutarius manna ac planè viuificum panem afferre & offerre, & vehementius fidē in se suamq; doctrinam flagitat, eisq; incredulitatem obijcit, & eos hoc nomine seueriter castigat. Illi porrò vicißim propter tenuitatē miraculorum, pergunt contra eum argumentari ab

experientia. Eum enim docere, se esse cœlestem panem, cùm contrà omnes sciant, eum in terris apud ipsos natum & educatum esse.

Scopus ergo præcipuus certaminis seu quæstio primaria inter Christum & Iudæos est de fide ac incredulitate aut de ueritate doctrinæ tum causam seu ortum, tum effectum seu officiũ eius indicante, an scilicet illi teneantur credere in eum, tum q; sit panis cœlestis aut de cœlo ueniẽs, tum panis uitæ uel uuificus, id est, quòd sit ueniatq; de ipso cœlo, ac uerè sit filius Dei, & quòd sit unicus seruator mundi.

De hisce duabus rebus omnis lis ibi est, nempe (ut ita dicã) de causa & effectu Christi, seu unde nam ille sit, & quid eximij præstare queat. Hic scopus durat usq; in finem huius sermonis aut disceptationis, donec ea disputatio finitur.

Ad perspiciendum porrò uerum ac genuinum sensum huius textus, est etiã diligenter cognoscendus hebraismus huius uocis Quomodo. Nã hæc uocula, Quomodo, Wie, hic & aliâs sæpissimè non quærit de modo agendæ, aut etiam actæ rei, Sed simpliciter negat aut falsitatis arguit sermonem alicuius. Paulò post initium huius disceptationis scriptum est: Murmurabãt ergo Iudæi de eo, quia dixerat, Ego sum panis,

qui

qui de cœlo descendi, & dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrē & matrem? Quomodo ergo dicit iste, de cœlo descendi? Hîc igitur cùm Iudæi dicunt: Quomodo hic dicit, de cœlo descendi, non quærunt de modo locutionis Christi, quam clarè audiebāt, Non etiam quærunt quomodo de cœlo descenderit. Nam id illi prorsus non credebant: Sed simpliciter negant id uerum esse, quod dicat, quodq; ille de cœlo descenderit aut uenerit.

Postea quoq; cùm contra eandem doctrinā Christi pugnantes dicunt: Quomodo hic potest nobis dare carnem suā ad manducandum, non sunt solliciti, nec quærunt de modo manducādæ carnis Christi, quod fore non credebant, & Christo esse planè impossibile sentiebant, sed tantum apud se & inter se Christum eiusq; doctrinam non tantum in corde per incredulitatem, sed etiam blasphemo ore per talia sophismata aut manes ratiocinatiunculas mendacij arguunt, & suam incredulitatem, errorem confirmant. Sensus ergo est: impossibile est hūc nobis dare carnē suam ad mauducandum. Quomodo enim tandem hoc fieri potest? Nullo certè modo. Interrogatio hic ualde usitata figura negat, & non quærit aut interrogat.

Porrò hæc natura aut uis uocula, Quomo-

do, ualde crebra est in sacris literis: ut Matth. 12. Si Satanas Satanã eijcit, QVOMODO *ergo stabit regnum eius? Pro, certè non consistet regnum eius. Ibidẽ: Genimina uiperarum quomodo potestis bona loqui cùm mali sitis? pro, certè non potestis. Sic Matth. 23. Progenies uiperarum, quomodo effugere possetis damnationem gehennæ? pro certè non effugietis. Sic Iohannis 12. dicunt Iudæi: Nos audimus, quòd oporteat Meschiam manere in æternum,* Quomodo tu dicis: *Oportet filium hominis exaltari, id est, profecto parum congrua prophetijs dicis.*

Talia exempla sunt innumera in sacris literis. Talia dicta & in communi sermone reperiri queãt, ut, si aliquis mẽdico grandia pollicenti dicat. Wie wiltu mir hundert guldẽ geben, *so du doch nicht einen hast?* Eiusmodi *est illud Mar. 4.* Quomodo omnes parabolas intelligatis? *quasi dicat, profectò in hac uestra stupiditate non intelligetis. Luc. 6.* Quomodo potes dicere fratri tuo. Frater *sine eijciam festucam, quæ est in oculo tuo, id est, certè non potes iustè dicere.*

Huc etiam pertinet illa Rhetorica regula, Quòd interrogatio figurata non quærat, sed contrarium sententiæ quæsitæ uel aduersarij statuat & confirmet. Hæc obseruatio de particula

cula QVOMODO, non modum manducationis quærente, sed ex illa ut illi putabant manifesta fălsitate totam illam cõcionem doctrinamq; Christi uanitatis arguente, diligenter retinenda est. Pleriq; enim de modo manducationis eã quærere putantes, à toto scopo huius capitis pernicioſè aberrãt: Quod porrò attinet ad uerbum: Pugnabant contra se inuicem, conuenit cũ illo superiore, murmurabant, Tota enim illa pugna aut murmur erat, non tam propriè ipsorũ Iudæorum contra se inuicem, quàm cõtra Christum, ut ex mox sequente responſo Christi apparet. Exagitabant enim illi id dictum tanquàm manifestè fălsum & absurdum, alijs aliter de eo nugantibus, sermones iactantibus, ac perpaucis nonnihil excusantibus.

In hoc dicto etiam illud adiunctum, POTEST, diligenter consideretur: cùm enim dicunt, Quomodo potest, perinde est, ac si dicerent, planè absurda & impoßibilia dicit ac docet. Quis enim solet ac potest dare semetipsum edendum ac deuorãdum: Igitur stultus est qui in eum credit. Sicut germanicè dicitur, Wie kanstu das thun, pro, du kanst es ie nicht thun. Es ist dir allerding unmuglich, Wie kan ein Esel fliegen, Das ist, Es ist im unmuglich, &c.

Quo uerò etiam tanto magis liquescat ue-

ritas,

ritas, diligenter notandum est, in omnibus scriptis aut disputationibus uel sermone duas esse diuersas dubitationes ac quæstiones, seq; inuicem ordine consequentes, quarum prior quidē est, an alicuius sermo uideatur uerus, posterior uerò, quomodo illius obscuræ sententiæ intelligendæ sint. Primùm enim aut planè reijcimus alicuius doctrinam uel scriptionem, tanq; prorsus falsam, absurdam, aut alioqui nugacem inanemq;, uel etiam contrà magnificimus ac probamus ut ueram. Deinde cùm probauimus, secunda dubitatio aut quæstio est, quomodo aliqua obscuriora aut etiam minus probabilia dicta intelligenda sint.

Iam igitur Iudæi in hoc loco & disputatione cum Christo adhuc in priore quæstione hærent consistuntq;, an uidelicet sermo de doctrina Christi sit uera et digna cui credatur, aut etiam contrà falsa & fide indigna. Christus affirmat esse ueram & omni fide amplectendam, illi contrà negant, se posse ei credere aut assentiri. Nondum ergo ad secundam dubitationem perueniunt, sed in prima, ut & alij omnes increduli, hærent.

At Apostoli & omnes imbecilli Christiani solent in secunda hærere, eoq; scrutantur scripturas, & illi crebrò Dominum interrogant,

quomodo hoc aut illud eius obscurum dictum accipiendum sit. De prima igitur hic non de secunda quæstione agitur.

Quòd uerò hìc non sit de modo edendi carnem Christi quæstio aut disputatio, apparet cùm ex præcedentibus, tum etiam ex sequenti sermone Christi. Nam ex sententia responsionis aut solutionis quæstio intelligi rectissimè potest. Christus uerò respondens non de modo comedendi differit, sed tantum ueritatem suæ doctrinæ ingeminatis uicibus & repetito aliquoties eodem sensu inculcat & asserit, iterum atque iterum ingeminans atq; adeo septies repetens suam doctrinam, aut assertionem, quòd scilicet ipse uerè tum ueniat de cœlo, tum sit saluator mundi, Vbi sunt tantum uehementissimæ assertiones ueritatis suæ doctrinæ, & nulla plane explicatio quæstionis de modo comedendi. Vnde liquido cernitur, controuersiam inter Iudæos & Christum esse non de modo comedendi carnem ipsius, sed de ueritate doctrinæ, an uidelicet ille sit panis cœlestis ac simul uiuificus, an ueniat de cœlo, & possit saluare genus humanum.

Quo uerò tanto magis appareat certamen esse propriè de ueritate doctrinæ, nõ de eius intellectu, seu an ipse sit panis tũ cœlestis tum salutaris,

lutaris, non quæstio quomodo posit aut uelit dare carnem suam ad manducandum, adscribam ordine ac ad uerbum illas septem iteratas assertiones Christi, (præposita tamen primum Iudæorum negatione & sophismate, negante ueritatem doctrinæ Christi) ut illæ in concione Christi leguntur, ac sese inuicem consequuntur. Negatio Iudæorum.

Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad edendum? Quasi dicerent, falsissimum est quòd dicit se esse de cœlo & panē uiuificum. Quod uel ex hoc unico manifestæ falsitatis & absurditatis dicto, quiuis palpabiliter percipere potest. Assertiones Christi.

1. Dixit ergo eis Iesus. Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis:

2. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, Et ego suscitabo eum in nouissimo die.

3 Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus.

4. Qui edit meam carnē & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.

5. Sicut misit me Pater uiuens, & ego uiuo propter Patrem, ita & qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter me.

6. Hic est panis ille qui de cœlo descendit.
7. Non sicut Patres uestri comederũt manna & mortui sunt. Qui ederit hunc panem, uiuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capernaum.

En audis Christiane Lector tantum asseri, ac inculcari, idq; adhibito iuramento, ueritatis doctrinæ Christi in prædictis duabus rebus aut capitibus, in causa & effectu Iesu, unde sit Iesus, et quid efficiat, quòd uidelicet ipse sit uerus panis tum cœlestis seu è cœlo ueniens tum uiuificans. Nihil planè hìc audis dici de modo edendi carnem Christi, quo modo aut ratione ea edenda sit aut non sit. An autem non esset Christus ineptus doctor, aut etiam parum fidelis ac seuerius, si omissa proposita quæstione & auditorum dubio ac hæsitatione quæstionem sibi exponi petentium aliena quædam importunè toties & usq; ad fastidium inculcaret? Hoc sanè esset iuxta prouerbium, de cepis interrogatũ de allio respondere. Non fuit ergo ibi quæstio de modo edẽdi carnẽ Christi, sed tantũ an uerũ sit, q; Iesus sit panis cœlitus datus & saluificus.

Post hasce tot assertiones Christi, incredulí Iudæi & multi etiam ex insincerioribus discipulis offenduntur ea doctrina, negantq; se posse eam audire eiúe assentiri.

Quare

Quare Christus redit ad priorem reprehensionem incredulitatis Iudæorum, ac primũ quidem affert argumentum à futura experientia, quo probat se uerè de cælo descendisse, Quia nempe sit aliquanto post etiam propalã ac glorioſe eodem in cælum potenter reuersurus, Quod argumentum plenè aut dialecticè sic poneretur. Quicunq; glorioſe, ſuiſq; uiribus aſcendit in cælum, ille certè neceſſariò diuina quadam potentia inſtructus eſt, & indicat ſe inde uenisse, illamq; eius quaſi propriam patriam, ſedem ac regnum esse. Ego eò breui aſcẽdam. Igitur uerè inde deſcendi, & ſum panis cæleſtis ac uiuificus.

Hoc argumento Christus ſæpius utitur ad cõfirmandam ſuam doctrinam ac diuinitatem, cũ aliquoties de ſigno Ionæ aut reædificatione tẽpli, de reſurrectione loquitur, & cùm inquit: Videbitis filiũ hominis ad dexteram maieſtatis.

Poſt hoc argumentum pergit accuſare incredulitatem ac demonſtrare fõtem eius, nempe carnalem ſtupiditatem & natiuam peruerſitatem hominis, & aſſerere, q. omnem ad ſe uẽturum omnino oporteat cœlitus à Patre per ſpiritum ſanctum trahi, ac intus doceri, eiq; hoc à Deo Patre p Sp. ſanctũ donari ut ſit theodidactus. Alioqui nunq; quenq; ſua carnali intelligen

tia & sapientia ad Christum uenturum, quæ ad hoc sit inutilis, imò & planè noxia.

Hac assertione suæ doctrinæ & damnatione stupiditatis, ac peruersitatis carnis naturæ & ingenij humani, ipsorumq; auditorum, offensi multi ex discipulis Christum prorsus deserũt, sicut in textu est, Ex eo tempore multi discipulorum eius abierunt, & nõ amplius cum eo ambulabant aut uersabantur.

Ex hac Iudæorum & discipulorum defectione & ueluti ultima disputationis conclusione liquidò apparet, non de modo comedendi carnẽ Christi fuisse disputationem inter Christum & Iudæos, sed de ipsa ueritate doctrinæ ac personæ, seu de hisce duabus quæstionibus, primum an Iesus ueniat de cœlo, id est, sit à Deo missus & uerus Dei filius. Deinde an Iesus sit uerus Meschias, uerusq; saluator mundi, & uiuificus panis. Tribuitur enim discedentibus incredulitas. Hoc idem comprobatur etiam ex Apostolorum remanentium confessione, qui credunt & suam fidẽ disertè de hisce ipsis duabus quæstionibus aut sententijs profitentur, affirmantes, se credere, eum esse Messiam, esse filium Dei, & habere uerba uitæ, aut posse saluare mundum, seu esse panem de cœlo & panem uitæ aut uiuificantem, ut ille initio de se professus

fessus fuerat. Dicunt enim, Domine, uerba uitæ habes, & es Christus filius Dei uiuentis.

Quòd si quæstio ac dubitatio Iudæorum ac Capernaitarum illorum fuisset de modo comedendi carnem Christi, quo dicto Capernaitæ offendebantur, & Christus negasset eos debere comedere carnem, sed tantum spirituales fructus aut beneficia eius fide percipere, ut isti uolunt, tum profecto tanto magis illi Christo fuissent assensi, sublata tanta absurditate, & cum eo porrò permansissent. Nunc euentus ipse discessionis planè contrarium testatur. Hic est uerus ac genuinus sensus capitis Ioannis 6. quem omnes rectè expendentes comprobabunt, etiamsi non sit à multis ita hactenus acceptus & expositus, nec perinde uera eius sententia deprehensa.

XXVII.

Totus textus singulaq; uerba sacrosancti testamenti cænæ Domini acerrimè contra istum errorem Sacramentarium pugnant, quod abundè ostẽdi in mea Fideli admonitione, excussis singulis uerbis. Idem uerò alij quoq; multo diligentius, eruditius et copiosius cõmonstrarũt.

Ostendi etiam suprà, nihil magis perspicuè, aptè ac certò dici posse, quàm quod Christus de suo corpore ac sanguine pronũciat, quæ sen-

tentia planè intuitiuam (ut uocant) notitiam continet.

Vnum illud nunc addam, quòd mihi uidetur articulus τὸ prædicato σώματι corpori, in hac sententia testamenti Christi adiunctus maximum momentum afferre ad asserendam ueram realemq; præsentiam Christi, excludendasq; metonymias, figuras ac umbras & omnes alias astutas inuersiones & peruersiones ex uerbis cœnæ Domini, quas isti hîc comminiscuntur.

Nam cùm ea sit propriè uis articulorum, ut tum specificent, tum emphasin addant ei nomini aut rei, cui adduntur, necessariò debent uerba sacrosancti testamenti τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ αἷμά μου, uerti, Hoc est illud corpus meum & ille sanguis meus, qui pro uobis traditur & effunditur.

Certè Erasmus & Beza in suis noui Testamenti translationibus planè innumeris uicibus articulum prædicato additum per pronomen demonstratiuum & amplificatiuum ille uerterunt, addita etiam sæpissimè ratione in suis annotationibus, quòd necesse habuerint tali pronomine emphasin articuli reddere adspecificandum & quasi amplificandum prædicatum, seu eam uocem ac rem, cui articulus erat præ-

præpositus: Vide utrunq; *super* Iohann. 1. & *alibi passim in illorum annotatis super nouum testamentis.*

Non erat Baptista τὸ φῶς, *lux illa, uita erat* τὸ φῶς *illa lux*, Túne es ὁ προφήτης, *propheta ille, scilicet eximius & expectatus, super quem locum annotat* Beza *inquiens*: Articulum *expressi, quo summum aliquid significatur, sicut apud* Virgilium, Túne ille Aeneas? Propheta ille ὁ προφήτης, *omnino poscit græcæ linguæ ratio, ut de uno & certo quopiam propheta hæc accipiantur, qui eximatur ex cæterorum turba.* Hæc ille.

Cur non eodem modo licet uel potius necesse est uertere, Hoc est illud corpus, *quod pro uobis traditur, quo tali emphasi et specificatione, exclusis somnijs & umbris aut phantasmatibus aliorum corporum, tantum illud uerum primariumq; corpus asseratur esse. In eiusdem textus posteriore parte, ubi de sanguine agitur, habetur in* Luca & Paulo τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη. Vbi articulum Beza in utroq; *expressit, uertens*, Hoc poculum est nouũ ILLVD *testamentũ in meo sanguine. Et quidem in* Luca *etiam causam indicat, cur articulum expresserit. At in illis alijs sex recitationibus uerborum cœnæ, ubi quater dici-*

tur: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, & bis: τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, non uult attingere siue in uersione, siue in annotationibus uel minima uocula eum articulum, Qui proculdubio non sine causa aut temerè sexies à spiritu sancto in sacrosancto filij Dei testamento repetitus inculcatusq; est.

Sic idem super, Ecce agnus ille Dei, ὁ ἀμνὸς, qui tollit peccata mundi, annotat. Agnus ille ὁ ἀμνὸς articulus adiunctus (ut ex Chrysostomo & Theophylacto Erasmus obseruauit) emphasin habet, non modo dignitatis, ut à typico agno & cæteris legalibus uictimis distinguatur, sed etiam relationis: Reuocat enim mentem in prophetias Isaiæ et aliorum. Hæc Beza. Sic et in hoc sancto fœdere articulus distinguit uerum Christi corpus à signis aut figuris typisq; corporum umbratilium aut mysticorum.

Locutio illa Matt. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, &c. simillima est uerbis Testamenti. Beza uertit, Hic est filius ILLE meus dilectus, addens in annotationibus: Articulū expressi, cuius hîc uidetur esse emphasis maxima, tum ad distinctionē ab aliis filijs, tū & ad dignitatis eius commendationē.

Simili ergo ratione etiam articulus prædicato in uerbis sacræ cœnæ additus τὸ σῶμα, τὸ αἷμα

cĩuæ exprimendus esset, Hoc est illud meum corpus, quod pro uobis traditur. Qua ratione uox corpus & sanguis tum specificaretur, tum & emphasin acciperet, separareturq; ab Ecclesiæ mystico aut typico corpore, excluderenturq; istorum umbræ & phantasmata corporum aut somniorum. Diceretur enim, non esse quoduis corpus, sed quoddam eximium, nempe illud ipsum naturale, uerum, non signum, umbra aut pictura ipsius.

Hac sanè ratione necessariò uox corpus in uera natiuaq; ipsius significatione acciperetur, excluderenturq; metonomyæ & alij tropi aut astutæ peruersiones uocis eius, quas subinde alias atq; alias isti artifices comminiscuntur, ut modo nobis uerum corpus ac sanguinem ex essentia huius sacramenti surripiant, nudũque panem ac uinum relinquant.

Occlamabit fortè hic quispiam istorum: Christus habuit unicum tantum corpus: Quomodo potest ergo specificare id aut ab alijs distingue re? Respõdeo, Scriptura triplici significatione hac loquutione utitur, aut quasi tria quædam corpora Christo tribuit, Primum illud naturale, Deinde mysticum, ubi ipse quidem Christus est caput, singuli aũt pij membra, cuius fit mentio ualde crebrò in nouo Testamento, Tertiò

Ioan-

Ioannis 6. cùm dicitur, Corpus meum est cibus & sanguis meus est potus, necesse est intelligi de passione & merito beneficijsq; ex supplicio corporis & sanguinis ipsius prouenientibus. Postremò cum isti fingunt quædam figurata typica aut significatiua corpora Christi, etiam quandam diuersam rationem & quasi nouã speciem corporis Christi confingunt. Rectè ergo dico articulum corpori additum specificare corpus ab alijs. Vt uerò maximè nulla alia uocis huius significatio esset, tamen articulus istã uim exprimit, sicut cũ Dido ait, Tune ille Aeneas? cùm Aeneas sit uni proprium, & nulli alij Aeneæ tunc celebrati fuerint, ut specificatione indigeret.

Meo itaq; iudicio hic articulus illustratus maximum momentum afferret ad uictoriam cõtra omnes corruptelas & falsationes sacrosancti fœderis ac Testamenti filij Dei: Ostenderet enim eam prorsus esse uim uerborum Domini, ac si diceretur, Hoc est illud ipsum corpus meum, quod &c. Das ist eben DER mein Leib, der für euch gegeben wird, non signum aut umbra eius, non figuratum aut typicum quoddam corpus, non etiam illud mysticum, ubi Christus est caput, nos autem membra eius, caro de carne, & os de ossibus ipsius: De quo isti recentiores

tiores aduersarij uerba cœnæ exponunt.

Omnes tribuunt articulo eam uim, quòd soleat tum quasi specificare nomen, cui additur, tum & emphasin quandam illi adijcere: Quare de communi omnium grammaticorum aut etiam græcam linguam callentium sententia statuimus, articulum prædicato additum specificare cum quadam emphasi corpus Christi, eoq; illud uerum, genuinum ac primarium corpus Christi notare.

XXVIII.

Vltra hæc considerentur & illa duo, quòd quandoquidem hic articulus prædicato adijcitur, omnino uidetur primum identicam, ut loquuntur, prædicationem efficere, quòd res subiecti sit ipsamet res prædicati, ea nempe ratione, quam prolixius in Fideli admonitiõe expo sui, ostenso uero eius propositionis subiecto & sacramentali duarum rerum arctißima uniõe.

Deinde etiam uidetur hic articulus hoc loco uere præstare se articulum, id est, arctius connectere ac colligare tum præcedentia, tum & sequentia cum uoce à se indicata, nempe, cum corpore & sanguine. Nam sequens relatiuum quod, non tantum in suum antecedens, sed & in eius articulum respicit, eumq; refert ac repetit, perinde ac si diceretur, Hoc est illud ipsum

psum uerum corpus meum, quod uerum aut proprium corpus meum pro uobis traditur.

Verùm hîc illud quoq; obseruandum est, quod quidam Græcæ linguæ periti monent, quòd post pronomina demonstratiua semper repetatur articulus, & addatur ei rei, quam pronomine designare uolumus: Quod est idem cum præcedenti monitione, nempe articulum arctissimè connectere subiectum cum prædicato, & ueluti eandem rem facere.

Porrò in uerbis cœnæ etiam illud consideretur, quòd in pleniore recitatione illorum uerborum, cuiusmodi est Matth. 26. ter repetatur articulus: inquit enim, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτο γάρ ἐστι ΤΟ αἷμά μου, ΤΟ τῆς καινῆς διαθήκης, ΤΟ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *id est,* Bibite ex eo omnes. Hic enim est ILLE *sanguis meus,* ILLE *noui Testamenti,* ILLE *qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Quare liquidissimè cernimus, hac perpetua colligatione articulorum manifestissimè demonstrari planè eandem rem esse id, quod cum pane ac uino datum est in cibum ac potum, cum sanguine Christi, cumq; sanguine Testamenti noui, seu quo nouum Testamen-

mentum ibi sanciebatur ac confirmaba-tur, & denique idem esse cum sanguine fuso pro genere humano in Remissionem pecca-torum:

Quapropter in ista arctissima uocum ista-rum colligatione, & rerum (ut ita dicam) identitate per articulum toties iteratum con-nexa, non patet ulla fraus tropis aut figuris, res uocesue istas tam solidè connexas diuul-suris, ac pro ueris solidisque rebus umbras, si-gna, figuras ac ueluti somnia & phantasmata quædam substituturis.

XXIX.

Cum hac Græci idiomatis proprietate de summa connexione prædicati ac subiecti per articulum prædicato additum, illudque quasi in subiectum retrahentem, pulchrè conuenit, quòd omnino ratione Hebrææ linguæ idem ui-detur ualere hîc pronomen Hoc, quod Hebræ-um הִנֵּה *Hine* E N *uel* ECCE *aduerbia demonstrantis. Nam in ueteris Testamenti for-mula fœderis, Exod: 24. unde proculdubio hæc noui Testamenti formula transumpta est, habe-tur Hine* הִנֵּה Ecce *sanguis fœderis, quod De-us uobiscum sanxit. Quod Septuaginta quidem*

uerterunt

uerterũt ἰδοὺ αἷμα, Ecce sanguis, epistola uerò ad Hebræos, Hic est sanguis Testamenti, ita eadem planè sit uis in hoc dicto pronominis demonstratiui τοῦτο, Hoc, quæ est aduerbij demonstrandi Ecce. Qui Hebraismus in demonstratiuo pronomine HIC diligentißimè hoc loci obseruandus est, ad consequendum uerum ac genuinum sensum uerborum cœnæ Domini.

Hoc uerò, quod dico de istarum duarũ particularũ Ecce & Hoc cõuenientia, non tantum ratione demonstrationis consideretur, quòd in ea illæ duæ uoculæ sint idem: sed etiam quòd sicut aduerbium EN aut ECCE mox ipsi rei demonstratæ aut nominatiuo in ueteri formula adiungitur, sine interposito alio subiecto, tanquam si ipsemet sanguis sit primum subiectum, sic et pronomen demõstratiuum Hoc, aut Hic, accipiendum est in noua pactione.

Cùm Moses dicit: Ecce sanguis Testamenti, ipsum sanguinem ueteris Testamẽti digito aut manu populo directè monstrat: Sic haud dubiè etiam Christus recta ac sine aliquo medio digito indicat sanguinem noui Testamenti. Fortè etiam usus est aduerbio demonstratiuo Ecce, hoc loco in sua lingua, sed noui Testamenti scriptores hîc quoque, sicut & in epistola ad Hebræos pro Ecce substituerunt pronomen demon-

demonſtratiuum Hoc aut Hic.

Illa igitur Hebræa propinqor demonſtratio arctiorq; connexio particulæ demõſtratiuæ cũ ſanguine multò euidẽtius aſſerit præſentiã ſanguinis ueluti digito corã populo monſtrati, q̃ pronomẽ demõſtratiuũ cõmuni more acceptũ, euidentiusq; excludit illud ſophiſma aduerſarii oriũ EST, id eſt, ſignificat. Nã aduerbiũ demonſtratiuũ ſimpliciter ac de proximo mõſtrat ſanguinẽ, nõ aũt aliquid aliud, quod poſſet eſſe typus aut figura ſanguinis. Intelligatur igitur omnino hîc pronomen demonſtratiuũ Hoc uel Hic Hebraizare & naturam aduerbij demonſtratiui Ecce repræſentare.

Etſi uerò unus quiſpiam ex aduerſarijs urget alibi clarè dici, Hic calix, tamen illa locutio adeo communis & uſitata eſt, quia continens rectius quàm contentum oſtendi cerniq; poteſt, ut propria haberi queat. Sic idem fuiſſet, ſi Mõſes dixiſſet, Ecce crateres ſanguinis Teſtamenti, cum eo, quod ait, Ecce ſanguis Teſtamenti, perinde inquàm utraque locutio ipſum ſanguinem monſtraſſet.

Quare cùm ſcriptores Teſtamenti in formula fœderis pro ECCE Hebræo ſubſtituerint Hoc, Hebræo. 9. & in Euangeliſtis intelligi exponiq; debet illud, Hoc perinde ac ſi dictum à

Domino fuisset Ecce sanguis noui Testamenti aut Ecce corpus noui Testamenti, id est, quo nouum Testamentum sancitur, ut ita sit res ipsa sanguinis ac corporis coràm ac digito commonstrata Apostolorum oculis, si non corporis, at saltem mentis. Non igitur sic illud dictum accipiatur, quòd ibi sit proposita ac exposita à Domino quædam interpretatio signorum, typorum, figurarum aut metonymiarum, quomodo panis aut uinum significet aut figuret corpus ac sanguinem Domini in sacra cœna. Non, inquam, est ea Domini loquutio aut sententia (ut aliqui opinantur) quasi quædam allegoriarum, typorum, signorum, aut figurarum aut somniorum (sicut Zuuinglius confert ista cum somnio Pharaonis) interpretatio & declaratio, quid & quatenus aliam rem significet aut figuret: Sed est præsentis datiq; in esum corporis & in potum sanguinis demonstratio, & simul assertio, quòd eo sanguine ac corpore eiusque distributione, esu ac potione illud nouum sacrumq; fœdus aut Testamentum sanciatur & constabiliatur.

Nec tamen id simpliciter urgeo, quasi dialecticè loquendo corpus ac sanguis nequeat esse aut non sit prædicatum. Sicut enim illa veteris Testamenti formula resolui potest in

hanc

hanc propositionem: Ecce hoc, quod est in cra teribus hisce, aut quo uos aspergo, est san= guis Testamenti seu fœderis: Sic & Christi lo= quutio talem sententiam expositionemq; fert, Ecce hoc, quod uobis iam do in cibum & po= tum, est corpus ac sanguis meus Noui Testa= menti, seu quo nouum Testamentum come= dendo ac bibendo sancitur.

Summa illud Hebraizans, pronomen demon stratiuum hoc, ac complectens simul aut ex= primens aduerbium demonstrandi ECCE, om= nino rem ipsam corporis ac sanguinis Domi= ni coràm sistit, exhibet ac demonstrat, non au= tem absentes quasdam res ac longissimè in cœ= lo existentes figuris, signis ac typis pingit, si= gnificat uel adumbrat, aut etiam somnia in= terpretatur.

Ex ipsa igitur ui ac natura demonstratiuæ particulæ, præsertim ratione Hebræi sermo= nis, liquidissimè constat, illic præsens corpus ac sanguinem ostendi, & in cibum potumque di= stribui, non autem absens figurari, adumbrari, aut typis Mosaicis significari.

Conueniunt ergo ista duo proxima argu= menta inter se aptissimè, & quasi in hypotypo si quadam sibi mutuo occurrunt: sicut enim ar ticulus τὸ ILLE prædicato additus, uelu=

ti retrahit prædicatum in ſubiectum, cum eo commiſcet ac ueluti idem facit: Ita uiciſſim uocula demonſtratiua ECCE, aut HOC, illi ueluti occurrit, ſubiectum prædicatum promouens, & ueluti rectà ipſum prædicatum arripiens ac monſtrans, perinde ac ſi diceret: Ecce corpus, Ecce ſanguis meus &c. Quod attentè cogitanti maximam lucem & energiam in hoc tam celebri filij Dei dicto affert.

XXX.

Celebratur à theologis illud Hilarij dictum, Ex occaſione dicendi ſententiam dictorum petendam eſſe: Verùm multò rectius ueriuśq; dicetur, quòd ex ſcopo, intentione aut propoſito dicentis & ſermonis dictorum ac uerborũ ſenſus petendus ſit. Conſideremus ergo attentè, quid hìc agat & dicere uelit Chriſtus: inde enim certiſſimè, quam uim uerba de corpore ac ſanguine ipſius pronũciantia habeant, animad uertere poterimus.

Primùm itaq; conſtat, eum ferire fœdus inter Deum & homines, ſeu ſancire nouum Teſtamentũ. Deinde id agens dat diſcipulis quendam cibum ac potum, eoſq; eum ſumere ac edere & bibere iubet. Tertiò inter dandum docet eos quid ſit, quod eis det, & in quem uſum aut finem. Quare illa uerba ad præſentem materi-

am

am & actionem fœderis arctißimè applicanda sunt, & de eo modis omnibus intelligenda, non de quapiam alia re peregrina aut absente. Quod ut melius intelligatur, consideretur illa uetus formula et historia Testamẽti, quæ est ueluti quædam origo aut fons uerborum cœnæ, fœderis aut Testamenti Domini. Nam sicut totum nouum testamentum ex uetere sumptum, formatum ac ueluti exsculptum est, sic etiam ista uerba noui fœderis prorsus cum illis Exod. 24. consonant, ut tum suprà, tum & in Fideli admonitione prolixus ostendi.

Cùm Moses Exodi 24. sancit uetus Testamẽtum in Sina inter Deum et populũ, mactat fœderales uictimas, & dimidium quidem sanguinis spargit aut fundit super altare, ueluti Deo eũ offerens, dimidiũ uerò profert ad populum, ut eũ illo aspergat, et dicit, Ecce sanguis fœderis, quod pepigit Dominus uobiscum &c. quod dictũ uertit epistola ad Hebræos, Hic est sanguis Testamenti, quod Deus mãdauit erga uos &c.

Cùm igitur ipse profert illum fœderalẽ sanguinem in crateribus, eoq; populum aspergens prædicta uerba dicit, loquitur de præsenti re, populumq; docet & monet, ut intelligãt & cogitent, quid ibi propriè agatur, non autem meditatur peregrina & absentia quædã, sed præ

sentem sanguinem fœderalium uictimarum mõ
strat, neq; tamen eum ociose ostẽtat, sed simul
quidnam seriæ rei eo agat, & negocia præsen
tia explicat, q:d. Vos scitis iam per me hic &
hac præsenti actione sanciri fœdus inter Deum
et uos. Vidistis quoq; me fœderales uictimas ma
ctasse, & partem quidẽ sanguinis earum super
altare Domino id offerendo fudisse, partem ue
rò ad uos in hisce pateris extulisse. Videtis etiã
me eo uos iã aspergere: Nunc igitur scitote hũc
sanguinẽ esse fœderis seu Testamenti, eoq; ideo
uos aspergi, ut istud præsens fœdus sanciatur
& stabiliatur, uosq; hac re & actione tum cer
tiores fiatis de Dei erga uos uoluntate, tum eti
am sciatis tanto firmius uos erga Deum obliga
ri ad seruandum hoc fœdus præstandáq; ea om
nia, quæ nunc Deus à uobis stipulatus est, uosq;
præstituros uos promisistis.

Hic est uerus ac genuinus sensus uerborum
Mosis populum istis uerbis alloquẽtis: Ecce san
guis Testamenti, uel, ut habet epistola ad He
bræos: Hic est sanguis Testamenti, quod Deus
erga uos mãdauit, aut uobiscum sanciri præce
pit. Non exponit ille ibi populo allegorias aut
figuras, signa aut typos rerum absentiũ, extra
illud negotium existentium, sed præsentem san
guinem manu digitoue ostendit, ac serio iubet

Israeli

Israelitas intentos esse in rem præsentem, & cõ siderare, quid ibi Deus secũ agat, quisúe sit ille sanguis, aut quo fine, usu, uel intentione in eos effundatur.

Hoc itaq; etiam eodem modo uerba fœderis aut testamenti Christi expendamus, quandoquidem tum fœderum naturam perspici, tum præsertim Dei fœdera aut Testamenta inter se conferri utilissimum est, tum deniq; Christus omnino hæc sua uerba ex ueteri Testamẽto sumpsisse, uel sua potius propria inde repetijsse uidetur. Ipse enim fuit ille angelus, qui olim illum populum per Mosen duxtauit ac eduxit, & fœdus cum illis sanxit, & illa spiritualis petra, ex qua olim populo mystica aqua, præsentis fœderis potum denotans, teste Paulo, profluxit.

Christus igitur in faciendo fœdere, dato cibo ac potu iussisq; Apostolis eum edere ac bibere, non peregrina quæpiam, quæ in cœlo empyreo aut crystallino sunt, incipit agere, aut absentium rerũ typos, figuras uel signa per metonymiã declarare, non quoq; ociose datũ corpus ac sanguinẽ suum ostẽtare, sed propriè ipsam rem præsentem, quid ibi agat, quid det & in quem usum, Apostolis exponit, eosq; iubet in præsens negocium res et actionem intẽtos esse, ut sciãt, qd per se nũc Deus cũ illis agat. Ea igitur adeo

uiua & practica uerba paululũ consideremus.

Verba Christi oĩm pleniſſimè Matthæus in posteriore parte ſacramẽti deſcripſit, quæ ita habẽt, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες: τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, id eſt, Bibite ex hoc oĕs. Hic.n. eſt ILLE ſanguis meus, ILLE noui Teſtamẽti, ILLE qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.

Senſus ergo dicti Chriſti eſt, quaſi diceret: Scitis nunc Deũ per me uobiſcum ac cum toto genere humano inire nouum fœdus. Vidiſtis etiã me dare panem ac uinum in cibum & potũ: ſed hoc nondum ſatis eſt. Oportet uos præterea ſcire, quid uobis ſimul cum hiſce elementis in cibũ ac potum dem, & in quem uſum. Scitote igitur me uobis hîc ſimul dare etiã corpus ac ſanguinẽ meum, mox pro uobis crucifigendum, idq; in hunc uſum, ut hac eius comeſtione & hauſtione hoc nouum fœdus aut teſtamentum ſanciatur aut conſtabiliatur.

Hoc omnino uolũt iſta uerba: Hic eſt ſanguis noui teſtamẽti, nempe hac ipſa ſumptione mei ſanguinis, nũc icitur et initur nouum fœdus aut teſtamentum inter uos & Deum. Hoc uobis ſit quaſi certiſſimũ et lõgè precioſiſſimũ pignus no

luntatis

luntatis ac promißionum diuinarum, beneficia paßiõis meæ uobis offerentiũ, quod pignus uos perpetuò ad prædicti fontis bonorũ, nẽpe meæ mortis recordationem reuocare debet.

Hic. n. ſanguis à uobis, tanq̃ altera confœderãda parte, ſumptus debet uos perpetuò monere de ſanguine alteri confœderatæ parti (id eſt Deo) oblato, ſeu ſuo modo ab ea ſumpto, nẽpe de effuſiõe ſanguinis in cruce: Viciſſim uerò ille Deo oblatus ſanguis ſeu paßio mea aut ſacrificiũ, perpetuò corã Deo in meo cœleſti tabernaculo exiſtẽs, monebit eũ, ut cogitet de hoc meo ſanguine uobis dato, atq; ita & de fœdere, ſuo nomine uobiſcũ inito. Quare ſicut hic (ut ita dicã) Sacramẽtalis ſanguis uos monebit de quærẽdis flagitãdisq; per fidem beneficijs meæ paßionis, ita ille (ut ſic loquar) paßionalis ſanguis uice uerſa monebit Deum ac impetrabit uobis ab eo merita beneficiáq; meæ paßionis. Obſeruetur & hæc ualde concinna duorum, ut ita dicam, ſanguinum Chriſti inter ſe harmonia aut correſpondentia.

Quam uim ſenſumq; Domini uerborũ præclarè cõfirmat, qđ Lucas & Paulus habẽt, Hoc poculum eſt nouum Teſtamẽtum in meo ſanguine, id eſt, iam bibendo hoc poculum ſancitur uobiſcum illud nouum Teſtamentũ aut fœdus per

meum sanguinẽ, seu dato uobis meo sanguine, quod iam olim uobis promissum est in prophetis, quodq; Pascha ego uobiscum comedere desiderio maximo desideraui, ut pacta prædicatione, sancito nouo testamento, toleratáq; passiõe aliquãdo tandẽ functionem mihi à Patre in hoc mũdo demãdatam absoluerem, genus humanũ redimerem, Patrem glorificarem, et ad ipsum, in meam pristinã gloriã, ex hac tristi eximantione reuerterer.

Cæterùm prædictis uerbis Matthæi etiã illud γὰρ causale diligentißimè expẽdatur: ostenditur namq; ea coniunctione causa, cur iubeat D. ex ea potiõe oẽs bibere, quia (inquit) hæc ipsa potio est sanguis meus, quo hoc nouũ fœdus aut testamentũ Deus uobiscũ nunc sancit, & quidẽ id fœdus hac ipsa præsenti haustiõe mei sanguinis sancitur. Quare si uultis fœdus inire cum Deo, oportet uos omnes de hoc meo sanguine fœderali aut testamentario bibere. En habetis causam cur uos omnes inde bibere præcipiam.

Porrò ex hoc pleniore textu posterioris partis sacramẽti suppleatur quoq; prioris breuitas, ut & ibi subintelligas, Hoc.n. est corpus meum noui testamẽti, qđ pro uobis traditur in remissiõnẽ pctõrum, siue id Dominus siue Euãgelista in priori parte nõ adiecerint, qđ fortè propter

duas

duas potißimum cauſas prætermiſſum eſt, quia ſanguine potius q̃ corpore ſanciri fœdera in ueteri teſtamento dicebantur, & quia in appẽdice adiectũ utriq; iterato mẽbro ac parti ſatisfacere poterat, ſupplẽte auditore ex altero mẽbro id, qđ alteri deerat, quomã utriusq; eadem ratio erat ac eſt, ut de altero mẽbro dicta etiã alteri conueniãt, rectéq; illi applicari queant.

Sũma ſi breuißimè et perſpicuißimè ſentẽtia fœderalis formulæ Moſis & Chriſti mihi exponenda, efferenda & proponenda eſſet, indubitãter affirmarẽ Moſen illis uerbis: Ecce ſanguis teſtamẽti, qđ Deus ſancit uobiſcum etc. dicere, En ego nunc aſpergo uos ſanguine fœderaliũ uictimarum in hunc finem, aut hoc animo, ut hoc fœdus inter Deum & uos hac ipſa aſperſione ineatur, ſanciatur ac ſtabiliatur. Adeſte igitur & intenti ſitis in præſentem hanc longè maximi momenti actionem, & attentè conſiderate, quomodo hac pactione uel Deus ſeſe uobis obliget, uel uos uiciſſim ipſi obſtringamini.

Sic etiam Chriſtus de re in cibum ac potum in ſacra cœna data dicens, Hoc eſt corpus ac ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro uobis effunditur, id omnino dicit, En hoc nunc datum uobis in cibum ac potum, eſt meum illud uerum corpus ac ſanguis, in hoc ipſum

uobis

uobis iam datus, ut hac eius comestione ac potione nouum fœdus aut Testamentum inter uos & Deum sanciatur ac constabiliatur. Quis porro fructus aut utilitas huius noui pacti esse debeat, quoue modo uos illo uti oporteat, mox liquido exponam. Nunc tantum ostendo me hac distributione corporis ac sanguinis mei in cibū ac potum uestrum, hoc nouum Testamētum sancire. Adeste igitur uigilantes, nec peregrinemini alienis cogitationibus, sed res actionemq; præsentem considerate attentissimè, uosmet & corpus meum dijudicantes. Expendentes ergo, quàm sacrosanctum fœdus aut Testamentum, toties diuinitus per Prophetas promissum, nūc inter Deum ac uos per me mediatorē ineatur ac constabiliatur, idq; quàm sacrosanctis pignoribus, quo tum de Dei prōptissima & plusquā paterna erga uos uoluntate sitis certiores, & simul semper recordemini, ac prædicetis, quomodo is sacrificio, morte, aut sanguine meo, mox pro uobis fundendo, sit uobis placatus & planè Pater factus.

Ex hoc igitur uero ac proprio fine & intētione Christi suum nouum testamentū inter Deum & homines sancientis, manifestum est Christum illis uerbis, Hoc est corpus aut sanguis meus, asserere uerā præsentiam ac distributionē

corpo-

corporis ac sanguinis sui in sua sacra cœna. Quod argumentum longè firmißimũ est ad stabiliendam ueritatem nostræ & coarguendam falsitatem contrariæ sententiæ.

Gloriatus olim fuerat quidã præcipuus istius noxij erroris repertor, aut certè instaurator, se longè precioſißimam gemmam à quodã genio p somniũ aecepisse, de quo dubitat ipse met, an candidus uel ater fuerit, cũ eum docuit uerbum substantiuũ EST in significat transformare. At si istas tres quasi gemmas paulò antè à me tibi indicatas, nempe particulã demõstratiuam τοῦτο Hoc uel Ecce, Articulum prædicati TO ILLVD corpus, & deniq; scopum ac intentionem Mediatoris fœdus sancientis inter sese pulchrè contuleris ac cõcinnaueris, longè elegantius monile aut ornamentũ gutturis cordisq; tui efficies, quo te ad hoc sacrosanctũ cõuiuiũ ueluti nuptiali quodã ornamento exornes.

Nam primum articulus prædicato additus tum cũ quadã singulari emphasi specificat illud corpus ac sanguinem ab alijs omnibus umbratilibus, typicis aut figuratis, ac ostendit tibi significari illud ipsum uerum primariumq; ac naturale corpus Christi, in quo passus est: Tum etiã quasi retrahit prædicatum ad subiectum, cũ eo arctißimè colligat, ac planè unam eãdemq; rem

esse

esse facit aut docet. Deinde contrà pronomẽ de monstratiuũ, rõne hebraismi sui aduerbiũ de monstratiuũ En aut Ecce includẽtis, ueluti occurrens retrogradienti prædicato rectà ipsum fermè tanq̃ pro subiecto arripit, directè ipsum corpus et sanguinẽ ibi distributũ cõmonstrans.

Deniq; ipse scopus aut intẽtio Christi fœdus sanciẽtis necessariò euicit eũ illis uerbis rẽ presentẽ respicere ac agere, nempe sancire aut ferire fœdus inter Deũ ac hoĩes, eoq; testari se ibi dare corpus ac sanguinẽ suũ in cibum ac potũ ut ille quidem dando, nos autem Christiani id sumendo, comedendo ac bibendo, nouum illud fœdus cum Deo peragamus ac ineamus.

Nõ igitur ibi ille peregrina quædã ac extra totũ mundũ existentia monstrat, aut lõgissimè remoti corporis ac sanguinis typos, signa, aut figuras uel pingit uel explicat: sed illud præsens testamentũ, dando et dare se corpus suũ testificãdo, condit, hoĩesq; cũ Deo per id cõfœderat ac colligat. Sic si tria ista euidẽtissima ueritatis indicia inter se cõnexueris, præclarissimo ornamẽto triũ precioſorũ lapidũ pectus ac cor tuum coram Deo exornaueris, ne in hoc sacro conuiuio sine nuptiali ornamẽto deprehẽsus, tibimet iudiciũ exitiumq; comedas ac bibas, nõ agnito dijudicatoq; illo uero corpore ac sanguine Domini:

Hæc

Hactenus XXX partim rariora, partim etiam planè non tractata hucusq; argumēta recensui, quibus uera substantialisq; præsentia simul & externa ac sacramentalis manducatio corporis Domini euidētissimè solidissimeq; asseritur ac demōstratur, quæ si cum mea prius edita fideli admonitione de retinendo inuiolato ac incorrupto testamento Domini cōiunxeris, ac in timore Dei expenderis, abundè profecto de hac re instituēris, ac mentem cōscientiamq; tuam in ueritate constabilies & contra omnia inania terriculamēta aut impostura sophisma tum aduersariorum communies armabisq;.

Verùm nō tantum certa notitia, sed etiā magno timore Dei ac cōstantia, præter Spūs sancti regimen, ad retinendā ueritatē extremè nobis opus est. Quāprimū. n. excusso timore Dei, (ut olim nostri primi parētes fecerūt) mādatū ac uerissimū uerbum Dei seponimus, & nostris speculationib. ac istorū sophismatib: indulgere ac uacare incipimus, mox in inextricabiles labyrinthos & laqueos spirituales incidimus, ubi intricati, illaqueati & capti ab illo infernali monstro deuoramur: cui infernali Satanæ latrocinio pulchrè Schwenkfeldius ac similes subseruiunt, qui disertè iubent, in inquirendā ueritate sacræ Cœnæ tremenda illa uerba testamenē

testamẽti Dei ex oculis remouere & nostris cogitationib. spiritusq; relationibus indulgere.

Eodem facit q, in quibusdã istorum locis manifestè in sacra Cœna uerba Domini immutantur, & dicitur, Hoc est signũ corporis mei, aut quidpiã simile pro illorum arbitrio. Hoc idem etiam omnia istorum scripta agunt, quæ cũ innumera sophismata recitent & sua somnia opinionum pulcherrimis coloribus, quàm maximè queunt, plausibiliter depingant, ipsa uerba sacrosancti testamẽti aut prorsus uitant, aut certè audacissimè torquent ac peruertunt innumeris modis, prout cuiq; bellissimũ & ad decipiẽdos simplices maximè accõmodũ esse uidetur.

Dominus Iesus reprimat Satanã zizania in agro Domini omnibus suis mille artibus audacissimè seminantem, uariaq; scandala excitantem, nobisq; purissimum triticum uerbi sui ad gloriam nominis sui & Ecclesiæ salutem usq; in finem clementissimè, propter misericordiam & ueritatem suam, conseruet, Amen.

FINIS.

¶

